

Nf 28



In hoc libro continentur.

1. WESSING. qui lux marti dicitur

Opuscula Theologica. ed. Theod. Stacke

2. WAGGENSEIL.

De loco Classico Gen. xxi. 10. ad Christop. Arnoldi Dissertatio.

3. BRUNSHAVEL.

Observationum Theologicarum ex Comm. Lutheri in Ep. ad Galat.
Exercitationes II.

Programma in Ep. ad Philipp. et Coloss.

De notis candidatorum, subi. Dissert. Mülleri de o. ordin. Neo
phyti.

De precum Christianarum veritate

De vocatione primaria et secundaria

De vita Christi in fidelibus.

De vera Deo verumq. Sacrarum notitia.

De Haeresi iuxta Sae sensum.

De nervis Pelagianismi in Hypth. de ^{notitia} Docti Impiorum

Animadversiones Selectae

De Repugnantia morosa.

De virtute quatenus una.

De Concubinato.

4. ANTONI.

De Harmonia fidei. quae iustificat c. fide, quatenus iustificat

De Contritione salutari.

De Redemptione per Lytrum.

De divina propagatione Religio. nis sub cruce.

De estimatione Rationis Theologica

De modo ducendi Fidelium

De Peccato Acadie.

Veritas Christianae religionis, ipsius Iudeorum obtreccati omibz
confirmata.

De Analogia fidei

[Faint, mostly illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, with some red ink markings.]



6

Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**PRECUM
CHRISTIANARUM
VERITATE,**

quam
AUXILIANTE EARUNDEM SPIRITU,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENB. HÆREDE, &c. &c.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
DN.

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,
S.Th. D. & Prof. P. Semin. Theol. Direct. Consil.
Consist. Ducat. Magdeb. gravissimo,

Patrono atq; Praeceptore suo sempiternè colendo,
ad diem Octobr. MDCC. horis locoque consvetis

Placido examini publico subjicit Autor Respondens

M. GEORGIUS ADAMUS FUNCKE,
SS. Th. Stud.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typog.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

PREECUM
CHRISTIANARUM
VERITATE.

DE

ASSISTENTE LARUNDEN SPERITU
RECTORE APOSTOLICISSIMO
SERENISSIMO PRINCEPS AC DOMINO

DE

FRIDERICO WILHELMO
ELECTORATIS BRANDENBURGICIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DE

IOACH. JUSTO BREITHAAPT,
S. Th. D. & Prof. P. Semin. Theol. Dir. Consil.
Consil. Ducis Magdab. gravissimo,

Facultate theol. Praeside
Obd. MDC. hinc iacobus consilii
Placido. examini publico subicit Autor Respondens

M. GEORGII ADAMI FLINCKE

1711

Typis CHRISTOPH. ANDREAE SCHULZII, Vind. Typog.



ILLUSTRISSIMIS
COMITIBUS AC DOMINIS,
DN. GEORGIO
ALBRECHTO,
PATRI,

&

DN. PHILIPPO
CAROLO,
FILIO,

Comitibus ab Erpach ac Dominis
à Breuberg, &c.

COMITIBUS AC DOMINIS MEIS
CLEMENTISSIMIS!

ILLUSTRISSIMI COMITES, AC
DOMINI CLEMENTISSIMI.



Valecunque hoc, quod Vestris
hic humillimè subjicitur oculis,
quamvis sit exiguum, non du-
bito tamen, si planè singularem
Vestram intueor humanita-
tem atque clementiam, qua
devotissimos clientes comple-
ctimini, fore, ut clementi serenoque conspiciatur
vultu. Annus est & quod excurrit, PRÆCEL-
SI COMITES AC DOMINI, cum pio paren-
tum consilio ex Giessena in hanc novam mitterer
Fridericianam, hunc in finem, ut & alios celebres
Musarum Saxonicarum Parnassos salutarem, & u-
biquè pietate & doctrina insignes audirem viros:
feci, quæ charissimorum Parentum erat volun-
tas, eique ut par erat, ita obediui, ut præcipuum
tempus

DEDICATIO.

tempus in Halensi consumterim Academia, perpetuò sedens ad Gamalielum fidelissimorum pedes. Quando autem casu aliquo incidi ad precum veritatem penitus meditandam, atque aliquid etiam conandum erat, viresque experiundæ, diduxi paululum cogitata, unde præsens Schediasma enatum est. Cum verò singularis Vestrae erga meam tenuitatem commonstratae gratiae & affectus haud immemor esse possim, à prima nuncii die illud Senecæ animo meo obversari cœpit: Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat. Hominis quippe ingenui (quod Atticum existimasse, Nepos elegantissimus autor est) si fuerit officium, in quæstu deputare maximo, ut memor ac gratus in benefactores (Mæcenates) cognoscatur; alterque etiam Gentilis, Romanæ Eloquentiæ princeps, Cicero, ex naturæ lumine si observare potuit, Nullum officium referenda gratia magis necessarium esse: quanto magis Christianos hujusmodi gratæ mentis affectus decet! Equidem nec dilectus meus parens, gratiæ atque clementiæ à Vobis ipsi olim exhibitæ, dum vivit, obliviscetur; quin semper eam gratisima recolit memoria. Ego vero quanquam lubens confitear, hoc quicquid est, gratiæ atque meritis Vestris, **COMITES AC DOMINI CLEMEN-**

MEN-

DEDICATIO.

MENTISSIMI, ne minima quidem ex parte re-
spondere; pignore tamen quasi dato, pro me lo-
quetur saltem, nolle ingratisimum me mori. Ac-
cipiatis igitur pro tanta tamque singulari gratia
exiguum hoc animi subjectissimi specimen, etiam
atque etiam devotissime rogo. Quod superest,
valete in Domino, DOMINI ac COMITES
CLEMENTISSIMI, atque salvi, incolumes ac be-
ati cum tota Illustriss. Doma Vestra vivite! Dab.
Halæ Magdeb. die VIII Octobr. An. MDCCC.

ILLUSTRISSIMAR. GENERO-
SITATUM VESTRAR.

PRÆCELSI COMITES,

humillimus servus

M. GEORG ADAM FUNCKE,
Bitempl.



Σὺν τῷ Θεῷ.

AD DISSERTATIONEM
DE VERITATE PRECIUM CHRISTIA-
NARUM.

P R Æ F A T I O.



Vanta veræ sanctimoniam præstan-
tia atque dignitas fit, vel ex eo fa-
tis constare potest, quod omnes
facultates atque disciplinæ, quam-
vis excellentes, absque hac non so-
lum mancæ atque mutilæ sint, sed
lucem quoque suam amittere sole-
ant. Quare optimè doctus *Drexel.*
Rhet. Cœlest. libr. I. cap. II. §. I. p.
97. inquit: In tenebris scientia omnes errabunt, nisi faciem
eis præluceat pietas. Id quod Sapiaientia Salomonis IX, 6.
sic effatur: Licet quis sit perfectus in filiis hominum, si ab-
fuerit ea, quæ à Te est, Sapiaientia, pro nihilo reputabitur.
Cujus rei causâ omni tempore Viri sapientiores Dei
cultui nomen suum dare, cumque eo scientiam suam
conjunctam esse, voluerunt: Idque non tantum *Theologi,*
ſcti atque *Medici*, sed *Philosophi* quoque atque *Philologi*
inter ipsos Gentiles præ se tulere. Unde *Philosophia*
ab his definiri solebat, *rerum divinarum atque humanarum*
cognitio; eademque Platoni, Meditatio mortis, audiebat.

A

Pro-

* (2) *

Propterea nec incommode à *Gisberto Voetio*, magno apud Reformatos Theologo, factum, ut, cum Ultrajecti suam Professionem Theologicam aggredere, orationem inauguralem, de Pietate cum scientia conjungenda haberet. Quæ oratio ejus ἀρχή: ad finem subjicitur: ubi merito Pietatem veræ sapientiæ individuum Comitum, omnium virtutum atque actionum nostrarum Reginam atque Dominam, appellat. Religiosius autem nomen vix inveniri poterit, quam quo sanctitatis sinceræ studium insignivit *Thomas à Kempis*, quippe cui *Imitatio Christi* dicitur.

Quando autem hæc universim adeo excellens atque magna est, de ejus partibus genuinis nemo quoque aliter judicabit; inter quas haud postrema, *devota oratio*, existit. *Damasceus*, quando eam definire voluerat, non poterat aliter, quam ut diceret: προσευχή ἐστὶ ἀνάβασις ἢ ἄνω πρὸς τὸν θεόν. i. e. *Oratio nihil aliud est, quam ascensio mentis ad Deum.* libr. 3. de fide orthod. cap. IV. *Augustino* est in Psalm. LXXXV. p. 385. *Locutio ad Deum*, quando enim legis, inquit, *Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris.* Sic igitur oratio est animæ cum Deo colloquium, quod quidem apud plerosque per evagationes mentis varias sæpius interrumpi solet. *Eximii* cum Deo collocutores extiterunt, *David*, qui dicit: *invenit servus tuus cor suum* (testans, sæpe id tanquam amissum fuisse,) *ut oraret ad Te oratione sua* 2. Reg. VII, 27. *Samuel*, de quo refertur, quod in auribus Domini locutus fuerit. 1. Reg. VIII, 21. Et licet Deus sit fortissimus atque invincibilis, precibus tamen, ceu funibus ligatur. hinc ad *Mosen*; *Dimitte me, ut irascatur ira mea contra populum hunc.* Exod. XXXII, 10.

Qualis quidem actus religiosus dividi potest in
glo-

* (3) *

glorificatorium, eucharisticum, petitorium, vel ex his mixtum,
Rom. I, 21. 1. Tim. II, 1. in genere autem nunc confide-
raturi sumus ipsius, prout Christianis competit, veri-
tatem, utentes duobus capitibus generalibus. Pri-
mum erit de veritate precum abstractivè considerata:
Secundum de eadem concretivè. Tu autem alme pre-
cum Spiritus! conatui adesto meo, duc me in omnem
veritatem, verbum tuum veritas! Amen.

CAPUT. I.

De Veritate Precum absolutè s. abstra-
ctivè considerata.

I.

ANtequam de ipsa precum veritate agamus, ne-
cessitas illarum vindicanda est. Quam etsi de
glorificatione & gratiarum actione nemo facile
negaverit, qui agnorit Deum esse; tamen eam de peti-
torio precum genere à nonnullis in dubium vocari, te-
statur & antiquitas & experientia. *Clemens Alexandrinus*
lib. I. Strom. auctor est, *Prodicum* asseclas seu *Prodicianos*,
quorum & *Isidorus Pelusiota* mentionem injicit, precum
usum aspernatos: quanquam *Dn. D. Ittigius* de Hæresi-
archis p. 113. dubium hac de re movit, propterea quod
Adamiani, secuti *Prodicum* in aliis, à precum usu non a-
lieni fuerint, juxta *Augustinum*. Quicquid autem ejus
sit, nos *argumenta* dispiciamus, quibus hujusmodi pre-
cum osiores, observante *Lamberto Daneo* in explicat. O-
rat. Dominicæ, usi potissimum sint.

§. 2. Prima ergò ratio à blasphemio petitur, quam
sequenti formali includam ratiocinio:

A 2

Quic-

Primum e-
orum arg. a
blasphemio
ductum.

* (4) *

Quicquid in ipsum Deum est blasphemum, gloriam ejus minuendo, imò directè injuriam ipsi faciendo, illud rectè adhiberi omnino repugnat.

Atqui Preces sunt tale quid. E.

Majorem probant: quicquid enim ad cultum Dei necessarium est, illud ad *gloriam* Dei existit; quippe ad *gloriam* Dei omnia facta sunt, sive sint naturalia sive spiritualia. Imo, si artificialium etiam quidpiam ad contrarium alium, quàm hunc scopum spectat, Deo abominatiōni erit, nec tolerandum. Hinc sive edamus, sive bibamus, aut quicquid aliud faciamus, ad *gloriam* Dei unice facere jubemur ab Apostolo I. Cor. X, 31. *Et omne, quodcumq; facitis in verbo aut opere, omnia in Nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Coloss. III. 17. In hunc finem Deus omnia creavit. Propterea *cœli enarrant gloriam ejus, & opera manuum ejus annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam* Psal. XIX, 1. cum universa etiam propter se ipsum operatus sit Dominus, Prov. XVI, 4. Resp. Verum *Minor* neganda in hoc argumento, ut & rædium præoccupem, simul *Minoris probatio*; videlicet, quòd precum usus probrum inferat Dei omniscientiæ. *Deum* namq; *omnia scire, & ipsum adorari* ab hominibus, *opposita* non sunt, sed *subordinata*, quæ minimè inter se pugnant. Precamur enim, non ut Deum nostræ miseriæ tanquam ignarum aut inmemorem commonefacere velimus, ipsumq; de ea informare, sed ideò preces fieri debent *1.* ut Deum solum omnis boni auctorem atque fontem testemur, Jacob. I, 17. *2.* Ut fidem nostram in ejus promissiones gratiosas confiteamur. Hinc David passim: *in Te spera-*

* (5) *

speravi Domine &c. in Te confido, Dominus rupes mea est, Clypeus &c. 3. Ut gratiarum actione agnoscamus summam Dei in nos Benignitatem, Providentiam atque paternam in nos curam. 4. Illius Majestatem atque potentiam laudemus. 5. Ne simus indigni, qui ab eo juvemur. Præstat enim vere ipsum invocantibus opem atque auxilium. 6. Ut Deum veneremur, debitoque cultu prosequamur &c.

§. 3. *Secunda ratio à vano est desumpta, quæ gemina apud eos videtur: respicitur enim vanitas vel ratione rei ipsius, vel objecti.* Illius respectu argumentati fuerint: Secundum à vano, quod duplex est.

(1.)
Cujuscunque rei nulla est efficacia, nulla operatio, nulla virtus, illius non habetur ratio, Atque precum &c. E.

Minorem, quæ iterum negari debet, ita probant: Si Deus spontè atque ultrò largitur ea, quæ alias ab eo peti debent, lequitur quod precibus nihil tribuendum sit &c. Jam autem Deus manifesto illud in scriptura promittit, v. g. Esa LXV, 24. Erit, antequam clament, ego eos exaudiam: adhuc iis clamantibus, ego audiam, inquit Deus. Quoniam prevenisti eum benedictionibus boni, Psal. XXI, 4. Ne sitis solliciti de castino: Quærite regnum Dei primo, & omnia adjicientur vobis, Matth. VI, 25. 28. 32. 33. 34. Ad quod argumentum idem responderi potest, quod ad antecedens, sc. promissiones Dei & preces sibi invicem non opponi, sed potius se mutuo inferre: sunt enim ἐκ τῶν τῶν τῶν. Præterea testatur Deus his formulis suum erga nos propensum animum, atque succurrendi promptitudinem. Sæpius enim caro nostra ejusmodi cogitationes ingerit, ac si Deus tardaret auxilium, vel quasi preces

* (6) *

apud eum non essent acceptæ. Quibus infirmitatibus sua benignitate occurrit, & statim in ipso temporis articulo ope sua nobis se adfuturum promittit; si non exterius, certè interius, ordine precum non excluso, sed supposito, tanquam præviso. Qua de re Psalmi quam plurimi testantur, & dictum illud primarium: *Si quis invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Joel II. 32. conf. Ps. LV, 17, 18. LVI, 10. &c.

(II.)

§. 4. *Alterum argumentum de vano est, quod Deus antequam petamus, omnia videat, curet, atque ordinet. Quemadmodum omnia ante ipsius oculos sunt nuda atque aperta.* Act. XV, 18. Ebr: IV, 13. Nec dormit, neque dormitat Custos Israelis, Psalm. CXXI, 4. Hinc Si Deus omnia videt ac providet, sequitur, quod precibus non sit opus.

Atqui prius est: Ergo

Resp. n. per *instantiam*. Pater sæpe novit, quibus egeat filius, nihilominus vult super iis moneri à filio. Itaque à Providentia Dei ad negationem necessitatis precum, quas & ipse prævidit, N. V. C. Hæc potiora *Adversariorum* fuerint argumenta, quibus nobilissimum Christianæ militiæ subsidium destructum iverint. Quando autem puræ putæ sunt *fallaciæ* atque *sophismata*, neminem à fervido precum studio abstrahere, neque etiam inanem operam nostram reddere poterunt.

Precibus
explicitis
etiam fide-
les opus
habeat.

§. 5. Consideratu dignius est, cum omnis fidei actus sit quædam oratio ad Deum, an nihilominus *explicitarum precum* studio sit opus. Ad quem scrupulum tollendum adhibenda est ipsorum fidelium imbecillitatis conscientia, qua fit, Ut vel Paulus, quantumvis Apostolo, agnoscat tentationum inter suspiria imbecillitatem adhæ-

* (7) *

adhærere sibi aliisque tantam, ut Spiritus S. ad precandum sublevare, suisque suspiriis nostra juvare connitatur. Rom. VIII, 26. Ex quo facile intelligitur, efficacitatem fidei tot defectibus obnoxiam esse, ut precum exercitio illam exsuscitare oporteat. Quibus ex defectibus status fidei sic corrumpi magis magisque potest, ut ex ipsis precibus capiendum solatium sit. 2. Cor. IV, 13. Omnium vero instar rationum est mandatum Domini, quod tam solícite haud commendasset, nisi orationis usus credentibus esset necessarius. Matth. VII, 7. &c. Luc. XVIII, 1. &c.

§. 6. Superest verò quæstio: Num ex naturali lumine atque ratione quoque precum necessitas probari possit? Quod quidem omnino affirmandum esse, manifesta Ethnicorum, præcipue Poetarum & Historicorum testimonia atque exempla, ut etiam stulti nullorum vota *Juvenalis* Satyr. X. reprehendat:

*Evertère domos totas optantibus ipsis
Dii faciles: nocturna toga, nocturna petuntur
Militia - - - - -*

rectius autem ita orare instituit idem Satyr. 2.

*- - - - - si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Expediat nobis rebusq; sit utile nostris:
Nam pro jucundus, aptissima queque dabunt Dii.
Carior est illis homo, quam sibi - - -*

§. 7. Argumentum à cultu Dei naturali ducitur, 2.) ex cultu cuius præcipua pars *invocatio* est. Dari autem ejusmodi cultum, patescit ex duplici naturali Dei notitia, *in-sita* sc. atque *acquisita*. *In-sita* Dei notitia illa est, quæ homini etiam ante rationis usum competit, diciturque aliqua *propensio* aut *instinctus* ad cognoscendum Deum.

Ad

Precum
existencia
ex lumine
naturali
quoque
pat. i.) ex
testimoniis
P. & H.



Ad hanc ut introvertantur *Athenienses*, monet Aposto-
 lus Act. XVII, 27. 28. Quo sensu & Rom. I. 19. τὸ γνωστὸν
 ἢ θεῶν id quod de Deo cognosci potest, dicitur *in ho-*
minibus esse. *Sociani* quomodo hic aberrent, vid. *B. Ca-*
lov, Theol. Natur. & Revelat. f. 156. ejusque Apodixis
 p. 53. *Acquisita* illa Dei cognitio est, quæ per discursum
 mentis ex creaturarum inspectione atque contempla-
 tione hubetur; sicut & ex conscientia sensu, quo Gen-
 tiles etiam jus Dei agnoscunt, quod qui mala faciunt
 morte digni sint, Rom. I, 32. & ita (Φύσει) *natura* faci-
 unt, quæ sunt legis, Rom. II, 14. Etsi enim ibidem A-
 postolus docet, Gentiles abusu rationis per dialogismos
 suos in cultum idolatricum delapsos, supponit ta-
 men, necessitatem alicujus religionis & adorationis i-
 psos agnovisse. *conf. Act. XVII. 23*. Similiter ex lumine natu-
 ræ constare, quod preces Deo offerendæ sint, ex professo
 probat *Johan Stearne* libr. 2. c. 9. p. 231. de animi medela.
conf. Nicolai Leonici Dialogum de precibus.

Quid sit

precum ve-
 ritas abso-
 lutè confi-
 derata.

§. 8. Satis ergò ex hactenus dictis patet, à nemine
 negari posse precum necessitatem, neq; inanem esse hanc
 operam de earum *veritate* susceptam. De *veritate* autem
Christianarum precū acturi primum ita, ut eam *absolutè*, seu
abstractivè consideremus; hoc ipso nihil aliud volumus,
 quam *requisita* precum *propria* & *genuina* indagare, pro-
 ut illa sacræ literæ suppeditant secundum *principia co-*
gnoscendi communia. Cum enim veritas omnis, tanquam
 conformitas cum eo, à quo difformitas metuenda est,
 sit ex genere oppositorum, & designetur ad fugiendum
 mendacium, postquam diabolus ea deserta hoc attraxit
 Joh. VIII, 44. sive spectetur sub ratione *rerum*, vel *ver-*
borum seu conclusionum, vel *actionum*, norma est certa
 agnoscenda, juxta quam verum à falso discerni queat:
 quam

quam quidem in divinis unam habemus, *verbum Dei in literas relatum*, ex quibus communes notiones *causarum* atque *affectionum*, adhibita fidei analogia, fideliter eruendæ sunt.

§. 9. In *absoluta* itaque precum *veritatis* consideratione primum se offert *vera* precum *causa efficiens*, quæ duplex est, *procreans* & *impellens*. *Procreans* est Spiritus Sanctus, qui preces mediante verbo in cordibus fidelium excitat. Hinc apud *Zach.* וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ יְהוָה יִצְרָאֵל i. e. *Spiritus gratiæ & precum*, cap. XII, 10. Qui locus uti clarissimus, ita & frequenti usu apud Theologos venire solet. Licet autem *opera Trinitatis ad extra sint indivisa*, secundum communem Theologorum canonem, nihilominus peculiari modo, Spiritui sancto, tertiæ divinitatis personæ, preces tribuntur; quemadmodum totum *Sanctificationis* opus, quò preces quoque pertinent, Scriptura passim Spiritui Sancto vindicat. Haud aliter atque *Patri creatio*, *Filio Redemptio* adscribitur. Quando itaque Spiritus Sanctus apud Zachariam *precum spiritus* dicitur, minime vel *Pater* vel *Filius* ab efficiendis iis excluditur: Sed principalis causa efficiens est tota *Sacro S. Trinitas*; *appropriativè* autem Spiritus Sanctus. Et quod alias Theologi observant de divinis operibus, sc. ea *inchoative* seu *operative* esse communia, quoad *modum* autem *operandi denominative*, *appropriative*, *œconomice* atque *terminative* distingui; illud hic quoque locum habet. Quanquam, alia dantur exempla, ubi effectus communes simul alio *receptivo* modo in certa persona terminantur: ita humanitatem Christi tota quidem *SS. Trinitas* produxit, solus autem *λόγος* eam assumpsit. Sic speciem columbæ, qua Spir. S. ad Jordanem apparuit, omnes tres divinitatis personæ formarunt; Spiritus S. au-

Causa precum efficiens, quæ probatur ex Zach. XII, 10.

tem solus in ea apparuit. Illustrant quoque rem, alias intellectu difficilem, claro aliquo simili. Dicunt, tres virgines communi manu aliquod sertum nectere posse, quod tertiæ imponant, quæ sola sertum aut coronam portet, inque ea videatur.

2.) ex Rom.
V, 11, 15 26,
27. & Gal.
IV, 6.

§. 9. Sunt & alia loca, in quibus Preces manifestò modo jam dicto, Spiritui Sancto tribuuntur, v. g. Rom. II, 15, 26. Gal. IV, 6. &c. Ubi quod attinet locum ad Romanos VIII, vers. 26. Theologis quærendi occasio nata est: Num Spiritus S. *formaliter* quoque pro nobis apud Patrem intercedat, intercessorisque fungatur officio, quemadmodum apertè illud hæc verba innuere videntur. *Effective* hunc locum accipit Augustinus libr. II, cap. 3. de Trinitate, quando dicit: *Spiritus Sanctus gemit pro nobis, quia gementes nos facit.* 13. Feuerb. Syntagm. Part. III. Diss. III. p. 1305. Quam sententiam non tantum confirmat, verum & dilatat, ita scribens: *verum est, quod Spiritus Sanctus non faciat orare & postulare, Zach. XII, 10. Sed quando ipse Rom. VIII, 26. dicitur pro nobis intercedere & postulare NB. ibi plus aliquid indicatur, monentibus id orthodoxis piisque Theologis quibus hostiliter repugnandum non est; etsi quoq; sciam, quid alii contra sentiant, quorum assentionem posui,* inquit, Fasc. IV. Disp. VI, thesi 31. p. 422. & Disp. IX. thesi 42. p. 561. Et probat deinde quoque pluribus, Spir. S. nos non solum gementes & orantes facere, verum etiam ipsum pro nobis intercedere gemitibus inenarrabilibus. E. Dannb. in Hodol. Phœn. IX. p. m. 944. in not. rem ipsam uberrime illustrat, nec non expresse Spiritum S. *formaliter* apud Patrem pro nobis intercedere, asserit. Postquam enim hanc intercessionem descripsit, ut *ὑπερέντευξιν ἀλάλητον ineffabilem ac mirabilem, ut effectivam & transitivam, ut περιχωρησικὴν,*

* (11) *

concurrentem cum nostris gemitibus; tandem quoque eam vocat *formalem*, locutionem divinam, linguam cœlestem, Deo dignam, & intercessionem Spiritui Sancto propriam. Quod cœlestium gemituum genus ac interpellationem divinam, probari ait i. ex phrasi *genuino sensu* atque *literali*, à quo sine urgente necessitate recedere velle, profanum esset. Atque ita concludit: Si ἐντευξίς ὑπὲρ ἡμῶν in Christo *formalem* precationem significat, quidni ὑπερέντευξίς in Spiritu Sancto? Urget & deinde *Synonymiam* phrasi: dicitur enim Spiritus Sanctus quoque παράκλητος, Joh. XIV, 16. Igitur ut Christus verè orat pro nobis, non tantum facit orare, ita & Spiritus S. Et quia Pater quoque nos orare facit, non tamen pro nobis intercedere legitur in Scripturis; istà proinde phrasi de Sp. S. usurpata, plus aliquid innui consentaneum est. Maximum autem hujus rei fundamentum beato huic Theologo situm esse videtur in argumentorum diversitate, quibus hic utitur Apostolus. Jam tum enim vers. 15. dixerat Paulus, nos accepisse *Spiritum adoptionis*, in quo clamemus Abba, Pater. Hinc vers. 26. & 27. novum aliquod consolationis argumentum proponit, quod novum non esset, si tantum effectivè intelligeretur. Denique & absurdum sequeretur: sensus enim foret, ipsum Spir. S. facere, ut nos interpellaremus pro nobis, & nosmet nostri essemus Advocati. Subjunguntur ab eodem auctoritates. Conf. c. I.

§. 10. Est verò & illud quoque hic notandum, quod *Causandi* dum Spir. S. precum *causa procreans* dicitur, non excluduntur vires nostræ spirituales, in Regeneratione acceptæ. Quamquam diversus est Spir. S. operandi modus *rius*. in Conversione atque Renovatione; *illic* solitarie primum operatur, vires petendi offerens, quibus tum utitur

B 2

agens

* (12) *

agens pœnitentiam, conando, luclando, quærendo, petendo, pulsando: neque enim inter obscuras scintillas & tenuia principia gratiæ prævenientis voluntas est otiosa, sed incipit luclata carnis & Spiritus: quæ est præclara observatio B. M. Chemnitii de lib. Arbitr. C. VII. addentis: Debebant hæc singulis non ex otiosis disputationibus, nec ex alienis exemplis, sed ex seriis propriæ pœnitentiæ exercitiis notissima esse; sed quia plerique sine ullis exercitiis fidei & invocationis vivunt, de rebus ignotis multa inextricabilia colligunt. Hic opus habemus clamare cum Ephraim: *Converte me Domine, ut convertar*, Jerem. XXXI, 18. & postquam conversus fuero, consolationem habebō, vers. 19. Deinde factus homo palme Christi, vivum suum inde succum extrahit atque fructum profert, Joh. XV, 4. seqq. Unde (1. Petr. I, 22.) dicitur homo seipsum renovare. Tunc non modo *passivè*, sed & *activè* concurrat, ut Spir. S. dicatur clamare in fidelibus Gal. IV, 6. & fideles ipsi motu filiali Rom. VIII, 15. Interim tamen nihil gloriæ Spir. S. decedit, quippe qui primitus has vires contulit, tum gratiosè conservat, cui semper etiam humillimè acceptæ referuntur. Secus atque *Pelagiani*, qui ut alias spirituales actiones, ita & preces viribus liberi arbitrii adscribunt. De quibus jam olim *Augustinus* Hæres. 88. *destruunt*, inquit, *Pelagiani orationes, quas facit Ecclesia. Has quippe non ab ipso Deo accipere, sed à seipsis homines habere, contendunt.* Sicut & eo tandem perhibentur delapsi, ut ipsam orationem Dominicam è medio tollerent. Agebant enim, orationem dominicam Apostolis traditam esse à Domino, cum adhuc infirmi essent, ut haberent certam formulam, sicut pueris aliqua formula præscribi solet, minimè autem perfectos ad eam obligari, quales sibi superciliosè videbantur: Hæc verba: *remitte nobis debita*, non pro se
ipsis

ipsis, sed aliis pronunciaſſe: oraffe hæc magis *humiliter*, quam *veraciter*. Conf. *Gulielm. Ames.* libr. IV. de conſcient. cap. 17. apud *Matthiam Zimmermannum* in diſſertatione *Historico-Theolog.* ad illud *Tertulliani Apol.* cap. XVIII. *Fuunt, non naſcuntur Chriſtiani*, Sect. II. §. 225. pag. 417. Cæterum non leve dubium videri po- teſt, quod occurrit *Luc. XI, 1.* ubi petentibus demum promittit *Salvator Spiritum Sanctum*: hinc enim videri poteſt *Spiritum Sanctum* preces non *procreare*. Quocirca obſervandum, quòd deſiderium orandi primum à *Spiritu Sancto* accendatur, ipſius autem *Spir. Sanct.* & collatio & plenior communicatio per preces impetrari debeat. Pulchrè iterum *Chemnitius* de *Lib. Arb.* c. VI. dictum hoc ita explicat, *non quod ſine Spiritu ex puris naturalibus poſſimus orare, & oratione impetrare Spiritum: ſed loquitur, inquit, ita (1) quia non debemus expectare ſenſibiles & violentos motus, unde de Spiritu S. præſentia ſtatuerè poſſimus, licet repugnemus verbo, & indulgeamus pravis cogitationibus & affectibus: Sed quando habeo deſiderium, etiamſi vix obſcuro gemitu ſe exerat, certus eſſe debeo, Spiritum S. tunc aſſe & operari. (2) Ne deſiciamus, licet tenuia & obſcura ſint principia, ſed petamus.* Atque ita cauſa efficiens veritatis *Chriſtianarum precum ſtrictè dicta* *Spiritui Sancto* tribuitur ab ipſo, qui eſt veritas, *Chriſto*, *Joh. IV, 23. 24.* Moverat ibi *Samaritis* quæſtionem ſatis arduam de cultu *Dei* verò, quam *Dominus* ita ſolvit, ut primum cultui *Samaritico* veritatem deneget, tanquam deſtituto certis fundamentis; deinde cultui *Iſraelitico* externo, de quo illa quæſiverat, eatenus veritatis laudem vindicet, quatenus ſcientia *Judæorum*, de ſalute ſecundum ceremoniarum *Leviticarum* figuram exſpectanda, non falſa, ſed vera ſit: tum autem de utroque & *Samaritico* & *Hie-*

rosolymitano cultu moneat, ex ritu externo veritatem neutri asserendam esse illam, quæ Deo tanquam Spiritui respondere ac placere possit; hunc enim qui verè adoret, neminem fore, nisi qui ipsius spiritum recipiat, in quo veritatem veram assequatur, absque qua externi cultus conformitas cum lege, etsi non falsa, tamen nec vera, sed vana sit; non spiritualis, sed carnalis Hebr. IV, 16. neque ideò vera, sed umbratilis. Coloss. II. 17. Licet verò non diffitear, *Spiritus* appellationem dicto loco naturæ divinæ univèrsim consideratæ tribui, nec agi de tertia hypostasi proprie: tamen hanc juxta officium *appropriativum* efficere, quæ divini illius attributi sunt, in hominibus, supponendum est cum Apostolo Rom. VIII, 26, 27. observante, homines tum demum verè novisse quid precentur, ut oporteat, si ipse una sublevet infirmitates: quæ scientia spiritualis opponenda carnali isti de externis, quam Christus, Samaritidi respondens, in Judæis quidem agnoscit, verum haud integram esse animadvertit.

Causa impellens.

§. II. Considerata *causa* orationis *procreante*, sequitur *causa impellens*, quæ *alia* est respectu Dei, *alia* respectu nostri. *Dei respectu* est tum voluntas ipsius, tum misericordia, mandatis atque promissionibus declarata. Cujusmodi dicta passim in Scripturis obvia sunt. *Petite & accipietis*, Matth. VII. *Invocabit me, & exaudiam*, Psalm. CXI, 15. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te*, Ps. L. *Dominus prope est omnibus invocantibus ipsum*, Ps. CXLV, 18. *Si quis invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Joel. II, 32. & alia. *Respectu nostri*, est *humilis* atque *grata Dei Evergeta* nostri Maximi *agnitio*, potissimum autem multiplex *indigentia* atque *urgens necessitas*, quippe quæ non tam suadere, quam pellere ad preces solet. Quod ille apud *Homerum* optime quoque agnovit, qui ita:

Εὐχῶ-

Εὐχεσθαι, πάντες τε θεῶν χάριτας
ἄνθρωποι.

*Orate, namque omnes homines divina ope in-
digent.*

Quo autem intimius Christiani suam miseriam atque calamitatem aspiciunt, eò magis quoque preces ipsis curæ sunt, ut intensius veriusque orent. Quid intimior calamitatis atque necessitatis externæ potissimum sensus ad precum veritatem, seu seriam orationem fundendam conferat, exemplis quibusdam ex H. E. illustrare placet. Luculentum hujus rei exemplum legitur apud *Eusebium* libr. V. H. E. cap. V. quod refert de militibus, *Marci Aurelii*, Imperatoris Rom. his verbis: *Marcum Aurelium, rumor est, cum in Germanos & Sarmatas expeditionem movisset, & exercitus ejus siti affligeretur, in rerum desperatione fuisse constitutum. Milites vero legionis, quam Melitinam vocabant, fide tum semel atque iterum percitos, genua in ipsa acie contra hostes ad terram usque curvasse, sicut & nobis orandi consuetudo est, & ad supplicandum Deo esse conversos. Cum autem hostibus spectaculum hoc insolens appareret, ferunt aliud quiddam insolentius etiam subsecutum, fulmen videlicet, quod hostes in fugam & exitium expulerit, & imbrem ad refocillandum exercitum, qui jam totus siti propemodum periturus, coeleste numen imploraverat. Et porrò ait: Hac historia fertur quidem etiam ab illis commentatoribus, qui alieni sunt à nostra doctrina, quibus cura fuit ea, qua jam dictos concernebant, describere, exposita verò & à nostris. Verum ab exteris Historicis tanquam, à fide alienis, positum quidem est ipsum miraculum, id autem expressum non est, quod nostrorum hoc precibus evenit. A nostris verò tanquam veritatis amicis, simpliciter & candidè quod gestum est traditur.*

Ex his

Ex his autem est Apollinarius, qui legionem illam, cujus precibus factum fuerit hoc miraculum, ex eotempore peculiarem ab Imperatore appellationem, ut Romana Lingua Fulminea vocaretur, accepisse dicit. conf. Zonaram, Tom. 2. Annal. p. 76. Huc facit & illud notum de Constantino Magno, qui, cum infelici prælio Byzantinos aliquando esset aggressus, penitusque ab iis victus, ita intensissime orasse dicitur, continuo in cœlum versis oculis, ut non tantum è stellis hæc legeret verba: *invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me*, Psalm. XLIX, 15. sed quoque in certum suum solatium cerneret crucem Christi, cum hoc lemmate: *in hoc signo vinces*. vid. Baron. Tom. III. ad annum 318. qui ex Nicephoro. conf. quoque Eusebium lib. I. de Constantini Magni Vita cap. XX. Sic cum aliquando Sicilia in magno metu præ hostibus esset, hocque perentisceret Gregorius Nissenus, hanc ad Episcopos scripsit epistolam Circularem. *Super afflictiones & gemitus, quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, major nos metus excruciat, quod inimicos nostros omni adnifu ad Sicilia invasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis molientibus prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus; & quibus resistere virtute non possumus, lachrymis obveniemus. Nam quid vobis cavendum, quidve vehementius sit formidandum, ex istius provincie debetis desolatione colligere. Itaque hortor, fratres charissimi, ut omni hebdomade, quarta & sexta feria Litaniam inexcusabiliter indicatis. Apud. Baron. Tom. VIII, ad annum Christi 601. num. XLI, p. 113. lit. B. Et profuisse hoc remedium, declaravit ipse eventus; addit Baron. Hieronymus Cardanus cum aliquando proponeret hanc quæstionem: *Cur rose spinis armarentur?*
tandem*

tandem concludit: si rosa spinifera non esset, non esset etiam odorifera. *libr. XIII. de subtil. p. 284.* Oratio est talis rosa, quæ dum spinis pungitur, suavem exspirat odorem. Merito ergo oratio *merces calamitatum* audit *Cbrysof.* tom. 3. de Pat. Jobi & hom. 5. in Matth. Quemadmodum vero, ut *in spiritu* oretur, causæ debetur procreanti, ita ex altera parte ut preces fiant *in veritate*, non parum ex causa impulsiva derivandum existimo. Nec dissimulandum tamen, veritatem respectu & *sinceritatis* & *graduum* diversissimam reperiri, prout impellens ratio conspirarit magis vel minus cum efficacia & *officio* Spiritus Sancti; vel *alieno*, quod indigentia & necessitate hominis externâ aut interna coactive utitur ad preces inflammandas; vel *proprio*, quod benignam Dei voluntatem ac promissiones, hominisque agnitionem beneficiorum divinorum ita adhibet, ut hic motu spontaneo acquiescat in gratia divina, ipsamque eo verius vel sollicitet vel celebret, quo spiritualior fuerit misericordiæ & adoptionis agnitio. Quæ quidem consideratio potius *subjectiva* est, necessaria tamen & hoc loco, ne quid præcipui circa impulsivæ causæ concursus prætermittatur.

§. 12. Subjecti consideratio hic subjici posset, sed quia peculiare illi caput destinatum est, ad verarum precum *terminum* seu *objectum recipiens* fit transitio. Unice autem atque solum ad verum Deum dirigi debere preces, probatur *manifestis* scripturæ *dictis ac mandatis*. Sic Matth. IV, 10. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi solum, soli servies.* Quod dictum inter cætera maxime adversatur *Papistarum* hypothese de *invocatione Sanctorum*, non solum per expressam particulam *exclusivam*, quæ quidem in Hebræo textu nec Deut. VI, 13. nec C. X, 20. legitur, sed inest certè in emphatico *אֱלֹהֵינוּ*, ut Christus

Objectum
recipiens,
terminus.

C

eam

eam *declarative* exprimat, sicut & LXX. Interpretes priori loco ipsam apposuerunt: Sed etiam propter vocabulum *λατρεύσεις*, quo utitur Christus, eoq; hebræum *רבעה דגלעושים*, exponit. Unde evincitur, frivolum esse eorum distinctionem inter *λατρείαν*, *δελείαν* & *ὑπερδελείαν*, cum & Paulus, postquam Rom. I, 9. dixerat *λατρεύω*, eadem epistola c. XIV, 18. XVI, 18. usurpet de cultu erga Dominum *τὸ δουλεύειν*. Conf. C. VII, 6. Matth. VI, 24. Luc. XVI, 13. Act. XX, 19. I. Thess. I, 9. Ita & Psalm. L, 15. *Invoca me in die tribulationis. Invocate Dominum, dum prope est*, Esa. LV, 15. *Adorate eum, qui fecit cælum & terram*, Apoc. XIV, 7. Hinc non solum severe Deus prohibet Idololatriam! *Non habebis Deos alienos coram me*, Exod. XX, 3. Deut. V, 7. quod fieri explicat, faciendo sibi sculptile, aut figuram rei alicujus cœlestis aut terrenæ; sed graviter quoque punit, siquidem pœna idololatrarum erat *lapidatio*, vid. Deut. XVII, 5. Quæ & continuo veræ Ecclesiæ praxis fuit. Ita hunc in modum *Tertullianus* in Apolog. advers. gentes cap. 30. testatur: *Nos Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum. Ambrosius* libr. 3. de Spir. S. Cap. XII. *Neque adorandum quicquam, præter Deum legimus. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Propterea & Deum ita obsecrat: Sed tu solus, Domine, invocandus es, tu rogandus, ut eum* (Theodosium Magnum Imperatorem) *in filiis representes. In oratione de obitu Theodosii. Atque hoc etiam argumentum pii Ecclesiæ Patres contra Hæreticos, Christi & Spiritus S. divinitatem negantes, Arianos sc. atque Macedonianos (conf. B. Scherz. Syst. loc. II, §. XXV. p. 72. & 76.) urgere poterant. Sic enim iterum Tertull. de Trin. Cap. XIV. Si homo tantum Christus, cur homo in orationibus invocatur, cum invocatio homi-*

nis

nis ad praestandam salutem inefficax judicetur. Gregorius Nazianz. in oratione de Spir. S. ita probat Spiritum S. esse Deum: *Εἰ δὲ προσκυνητὸν, (πνεῦμα ἅγιον) πῶς ἔσται σέπλον; εἰ δὲ σέπλον, πῶς ἔσται θεός; ἐν ἡρτηταί τὸ ἐνός. Ἡ χρυσῆ τις ὄντως σείρα ἢ σωτήριον, h. e. Si vero adorandus, quomodo non & religiose colendus? Si vero religiose colendus, quomodo non Deus? unum pendet ab altero. Catena hac verè aurea & salutaris.*

§. 13. Ita solum Deum invocandum esse, ex hactenus dictis patet. Solet autem invocatio institui vel ad omnes tres personas simul, supposita earum operandi œconomia, vel distincte atque seorsim ad hanc vel illam. Cujusmodi precum formulæ apud Practicos occurrunt v. g. apud Kegellum in Thesauro Spirit. piarum precum ex PP. collecto. Ubi p. 157--161. ex Aug. Medit. cap. 33. tres adducuntur orationes ad Trinitatem directæ. Ad singulas autem Personas ex Cypriano p. 163--166. Quando autem determinate aliquam personam compellamus, eique opus aut certam actionem tribuimus, quam nobis præberi volumus, observatur peculiaris terminatio. Ita ad personam secundam dicimus: *Exaudi me, remitte mihi peccata, miserere mei, per & propter merita tua, sive mortem, Passionem, & obedientiam tuam &c.* Atque hæc observatio in gratiarum actionibus pro certis beneficiis locum habet. Sic v. g. perperam Patri pro actione mediationis, pro impetratione salutis, pro intercessione, aut quacunq; actione alia appropriata, quæ in solo Filio terminatur, gratias ageres. Harum enim actionum formale principium Christus est, quamvis effectus harum actionum Redemptoris in nobis v. g. *Justificatio, regeneratio, vocatio, &c.* omnibus tribus personis adscribi jure possit. Sic & opera, quæ per modum appropriationis, certæ alicui

Compellandi modus est diversus.

Christus
in
manu
an
obs
sub



personæ tribuuntur, uti Patri *Creatio*, Spir. S. *sanctificatio* atque *consolatio*; ab ea quoque peti possunt, ut *Sanctificatio* à Spir. Sancto peti potest. Conf. *Gisb. Voetii Theol. Ascet. cap. III, p. 106.* Neque etiam opus est, ut ordo Personarum adeo strictè observetur, sed una alteri præponi atque postponi potest. Quod etiam facit Paulus, quando suam posteriorem ad Corinthios epistolam ita concludit: *Gratia Domini J.C. & amor Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit vobiscum omnibus!* qua quidem verborum serie ad ordinem, in sanctificationis praxi animadvertendum, respicitur. Sic quoque una Persona nominari potest, reliquæ subintelligi, modo non excludantur.

Christus
secundum
humanam
quoque na-
turam ado-
randus.

§. 14. Quando Christus secundum humanam quoque naturam adorari à nobis asseritur, hæc non extra, sed *intra unionem* cum λόγῳ personalem consideratur, Cujus sententiæ præcipuum suppeditat argumentum Christus ipse, dicens Joh. V, 22, 27. *Pater dedit omne judicium Filio, ita ut omnes honorent Filium, κατὸς sicut honorant Patrem: & potestatem dedit ei judicium faciendi.* Hinc ita argumentor:

Secundum quam Naturam Pater dedit Filio judicium faciendi, secundum eam Nat. quoque est adorandus:

Atqui sec. H. N. dedit, E.

Majoris consequentia clara est; nam *judicium faciendi potestas, & honorare*, se hic respiciunt, ut *destinatum & finis, & sunt paria*: seu quod idem est, respiciunt se invicem, ut *causa & effectus*. Qualis autem causa, talis quoque est effectus. *Minor* quoque probatur. Pertinet enim hæc prædicatio: *Christo data est potestas judicium faciendi, ad secundum genus communicationis Idiomatum.* Notus autem

autem est tritus Theologorum canon: *Quæ Christo in tempore data dicuntur, ea secund. H. N. data intelliguntur.* Quando porro apud Johannem dicit Salvator; honorari debere Filium, καθὼς sicut honoratur Pater; res quidem eadem est, *modus vero habendi diversus*: quippe Deus καθ' αὐτὸ & φύσει, adorandus est, humanitas autem Christi κατ' ἄλλο & χάριτι, sive per *unionis gratiam* adorationis confors fit. Philipp. II, 9. 10. 11. Sic ergo caro Christi est caro τῆς λόγῃς, non nudi hominis. Propterea nihil contra nos valebit locus Jerem. XVII, 5 ubi tantum is pro maledicto declaratur, qui carnem ψιλαν-θρώπων *nudi hominis*, brachium suum facit. Nec locus Gal. IV, 8. contra hanc veritatem militat.

§. 15. Adoratio autem *objecto* propter certa convenit *requisita* aut conditiones, quæ sunt *Omniscientia*, *Omnisapientia*, *Omnipotentia*, *Omnipresencia*, *veritas*, *bonitas*, &c. Hæc cum unice Deo in maximo gradu competant, merito quoque ad eum preces diriguntur. 1. Enim ejus *omniscientia* satis inde constat, quando καρδία-γνώσεως πάντων Act. I, 24. dicitur. Cordium cogitata & abstrusissima quæque nosse 1. Reg. IIX, 29. σοφίαν & γνώσιν habere Rom. XI, 33. Coloss. II, 3. intellectum & sapientiam largiri, Psalm. XCIV, 9. Propterea & הַיְיָ אֱלֹהֵינוּ *Deus scientiarum*, dicitur; 1. Sam. II, 3. 2. *Omnisapientia*. Quando solus sapiens dicitur, Rom. XVI, 27. 1. Tim. I, 17. essentialiter scilicet & à se ipso, sapientia infinita, Psalm. CXLVII, 5. ac impervestigabili Esa. XL, 13 quemadmodum & omnia in חַכְמָתוֹ *in sapientia fecit*, Psalm. CIV, 24. 3. *Omnipotentia*. Quam Deus ipse asserit: Sum הַיְיָ אֱלֹהֵינוּ *Deus omnipotens*, Gen. XVII, 1. Ubi הַיְיָ ex præfixo הַיְיָ *qui* & הַיְיָ *sufficiens*, componi videtur. Maxime ergo emphaticum est, & *sufficientissime* potentem innuit. Nihil ergo

Objecti veri
Requisita.

apud Deum impossibile, Matth. XIX, 26. nec נִפְרָד separatur ab eo ullum רַבֵּי verbum, Zach. 2. 6. *An quicquam est, O Abraham, quod Deo impossibile* (נִפְרָד separatum à sphaera potentiae ejus?) Gen. XII, 4. 4. *Omnipresentia.* Est enim in caelo & in terra simul, Joh. II, 21. sed ita, ut caelis caelorum & terra capi non possit 1. Reg. II, 27. sublimior quippe caelo, profundior inferno, longior terra, latior mari Job. XI, 8. ergo nusquam absens est, Jerem. XXIII, 23. 5. *Veritas.* vide Hebr. VI, 18. Num. XXIII, 19. Psalm. XXXIII, 4. &c. 6. *Bonitas.* Nam bonus est Dominus, Psalm. XXV, 8. omnis boni fons Jacobi I, 17. ut nemo ita bonus sit, nisi solus Deus Matth. XIX, 17. Hinc πάντα καλῶς ποιεῖ, Marci VII, 37. 7. *Misericordia.* Dicitur enim רַחוּם רַחוּם *misericos & graciosus*, Exod. XXXIV, 6. Pater ἀγαπῶν 2. Cor. I, 3. cujus viscera רַחוּם fremunt Jerem. XXXI, 20. (irruentium populorum instar, Psal. XLVI, 7. aut vini, Zach. IX, 15. l. maris, Jerem. V, 22.) praemiseratione erga miseros, recte coram eo ambulantes, 1. Reg. II, 23. Ex quibus ergo omnibus consequitur, verum Deum, qui P. F. S. S. est, verarum precum objectum esse, atque ad eum unice illas dirigi debere.

Forma. §. 16. *Forma* verarum precum consistit in actione religiosâ, qua animus, per Spiritum S. miseriae & indignitatis suae conscius, coram majestate Dei sanctissima se demittit, auxilia gratiae ardentem quaerit & admiratur, certamque exauditionis fiduciam firmat in Christo JESU. Jac. I, 6. Compellendus itaque & invocandus Deus, *reverenter, ardentem, & confidentem.* Unde triplex invocantis atque orantis emergit requisitum. I. Est *Humilitas ac Reverentia*, quae est vera animi demissio ex consideratione divinae Majestatis ac nostrae indigentiae. Nam ad miserum & afflictum spiritu, & timentem sibi super verbo Dei,

Dei, respicit Dominus, Esa. LXVI, 2. Hinc ita Dominum affatur Abraham: *Ecce quaeso, suscepti loqui ad Dominum, cum ego tamen pulvis & cinis sim*, Gen. XII, 27. Hujus avi modestiam atque humilitatem nepos quoque sequitur, inquiens Jacobus: *Minor sum praecunctis miserationibus tuis, & praec omni veritate, quam fecisti mihi: quia cum baculo meo transivi Jordanem hunc; nunc evasi in duo castra*. Gen. XXXII, 11. II. *Ardoris veritas*, opem Dei serio exposcens, qua qui non incaluerunt, audiunt illud: vos nescitis, quid adoretis: veri adoratores adorant Deum in Spiritu & veritate i. e. vero animi ardore atque affectu sincero. Joh. IV, 22, 23. Unde Scriptura non nude ad preces, sed ad serias preces hortatur: *vigilate & orate*. Matth. XXVI, 41. cf. Eph. VI, 18, 19. *Præcibus inhaerete, vigilantes in iis cum gratiarum actione*. Col. IV, 1. *Sobrii estote & vigilantes in preces*: I. Petr. IV, 7. Atque multum valet *deprecatio justis efficacis*, Jacob. V, 17. Qualem fervidam orationem habebat Moses, dum valde *exarsisse* dicitur in oratione contra Korachum, Num. XVI, 15. Ita divino Zelo exarsuabat Rex *Hiskias* in oratione contra blasphemiam Sancheribi, Esa. XXXVII, 17. Cujusmodi ardoris formulæ passim reperiuntur in Psalmis Davidicis v. g. Psal. XVII, 2. inquit David: *Audi preceationem, quæ non est in labiis fraudulentis*. III. Est *confidentia*, certa nimirum fidelium persuasio de precum suarum exauditione, fundata in Jesu Christo. Joh. XVI, 23. &c. I. Joh. III, 21, 22. Hæc dicitur quoque *fides* Hebr. X, 22 *fiducia*, Jacob. I, 6. *Spes*, Psalm. XXXIII, 22. & alibi. In his partibus vera precum forma versatur, quas melius animo percipere, quam eloqui licet. *Tertullianus* in Apologetico eas sic comprehendit: *oratio de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profecta*.

Funda-
mentum
prezum.

* (24) *

§ 17. Porro verarum precum fundamentum unicum, atque præcipue filialis fiducia est *Christus*, Redemptor, Mediator atque Advocatus noster. *Quippe non est in ullo alio salus, nec aliud sub cælo datum hominibus nomen, in quo oporteat eos salvos fieri.* Act. IV, 12. Quemadmodum autem consideratio de Christo, vel quoad ejus *Personam* vel *officium* instituitur, ita & hoc fundamentum diverso respectu, *Personale* atque *reale* dici potest. *Reale* autem vel *remote* vel *proxime* respicit preces. *Personale* igitur fundamentum, seu *principium* preces promovendi, est Christi persona secundum D. atque H. N. considerata. Utrunque enim efficaci modo in preces influit, & ut *Ἰεσὺς Ἰσων* ☉, ad eas concurrit. Joh. XV, 5. Quem in sensum totum pietatis seu cultus divini *Mysterium* in hoc uno fundatum, quod *Deus in carne conspicuus factus sit, intra q̄ nos fieri debeat*, docet *Dn. Præses* in *Theol. fund. libr. IV, C. I. th. morali prima*, atq; id verum morum spiritualium principium esse, observat. *Reale* fundamentum *remotum* est præstitum Christi meritum, sine quo non solum inanis esset fides nostra, sed & preces frustraneæ essent, quotquot fierent. Quapropter Christus orare jubet in suo *nomine*, ut in eo nempe fundemus preces & *imputative* & *inhæsiive*: *imputative*, ut meritum ipsius vera pœnitentia ac fide offeramus in iudicio divino: *inhæsiive*, ut intra nos spiritu fidei vero, id est, spiritu ac mente Christi, imbuti oremus, absque quo nulla est fiducia, 1. Joh. V, 13, 14. 15. 20. 2. Cor. IV, 13. Quod si enim & *Vet. Test.* fideles norunt, quod Deus peccatores non audiat Joh. IX, 31. multo magis in *Novo Testamento* accedamus oportet cum vero corde in plenitudine fidei, *asperse* corda à conscientia mala Hebr. X, 22. Ita recte pretioso Christi sanguini debemus, quod preces nostræ
apud

apud Deum sunt gratæ atque acceptæ. Sanguine Christi proluamus, necesse est, cor atque labia nostra, si certam nobis precum exauditionem promittere velimus. Hinc emphaticæ atque spiritu plenæ formulæ: *Obsecro, peto, postulo, oro, per innocentiam, Mortem atque Passionem Christi: Um der Heil. Unschuld Christi / Leidens und Sterbens Willen. Propter vulnera Christi!* Probe autem cavendum Christiano, ne leviter hisce atque similibus formulis utatur, ne novum dolorem vel ignominiam Meritissimi Salvatoris cicatricibus adferat. *Immediatum* atque *proximum* precum nostrarum *fundamentum* est *intercessio* Christi apud Patrem. Hac non solum in his terris fungebatur, vide Joh. XVII. item Luc. XXII, 32. Ubi se pro Simone intercessisse affirmat, ne deficeret fides ejus; Sed in cœlis quoque ad dextram Dei exaltatus pro nobis quoque intercedit. *Quis enim est, quærit Apostolus, qui nos condemnat? Christus est, qui mortuus est; magis vero etiam, qui resuscitatus est, qui est ad dextram Dei, qui Ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν intercedit pro nobis.* Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. ita & Johannes ait: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: quod si quis peccaverit, habemus Advocatum apud Patrem, Jesum Christum, justum.* I. Joh. II, 1. Quo officii Sacerdotalis actu, in statu exaltationis, Christi Majestati nihil decedit. Personæ quidem convenit, sed juxta H. N. cum ταπεινὸν *humile* quid sit; sicut ὑψηλὰ quoque personæ conveniunt, verum secundum divinam naturam. ὑψηλὰ καὶ ταπεινὰ, *sublimia & humilia*, in tertio communicationis genere concurrunt. Conf. B. Scherz. Syst. Loc. II X, p. 204. Veram autem esse hanc intercessionem, ex hæctenus dictis patere potest. Conf. B. Feuerb. Fasc. IV. Disp. VI. Thess. 28. seqq. B. Dannb. in Hedof phœnom. VIII, p. 321. Post Πανολετηρίαν,

consummationem seculi, hanc terminari, docet ex Eph. V, 27. & I. Cor. XV, 24. B. Feuerb. fasc. IV. Disp. IX, thes. 25. seqq. Cum hac intercessione nostræ preces conjungi debent, huic innixi exaudimur.

Objectum
occupans.

§. 18. Quod *objectum occupans* attinet, illud est vel *Personale* vel *reale*. Preces enim fiunt vel pro *personis* aut *rebus*. Personarum respectu fiunt preces vel *pro nobis*, vel *contra nos*; *pro aliis* vel *contra alios*. *Contra seipso*s aliquando orasse sanctos, probant vota charitatis, utpote Moysis, Exod. XXXII, 32. Davidis, 1. Paral. XXI, 17. Pauli ad Rom. IX, 3. verum Heroicæ virtutis hæ preces sunt, atque non tam & imitandum temere, quam admirandum proponuntur. Huc pertinent & vota impatientiæ, Num. XI, 15. Job. III, 1. VI, 8. 9. Jerem. XX, 14. Jonæ IV, 8. Atque ad contestandam innocentiam suam David quoque contra seipsum oravit, licet conditionaliter, Psal. VII, 4. 5. 6. *Contra malos* orationes fiunt, vel ut Deus pessima eorum consilia infringere velit. Sic *David* contra *Ahitophel* precatur, 2. Sam. XV. Vel ut gravi aliqua calamitate premantur, ut sensu iræ divinæ expergefacti, serio resipiscant: *imple facies eorum ignominia, & nomen tuum inquirent*, Psalm. LXXXIII, 17. vel si omnis spes de eorum conversione inanis fuerit, penitus deleantur, Num. XVI, 15. *Pro aliis* autem, iisque viventibus orandum, sive sint *amici*, sive sint *inimici*. Pro amicis *generatim* orare præcipitur Eph. VI, 18. I. Tim. II, 1. Jacobi V, 16. *Speciatim* Gen. XX, 7. 17. Num. XII, 11. 1. Sam. XII, 19. 1. Reg. XIII, 6. Jobi XLII, 8. cujusmodi precum & necessitatem atque utilitatem eleganti simili illustrat Apostolus, Rom. XII, 4. I. Cor. XII, 26. Sic in *Statu Politico* subditi orant pro Magistratibus: quo pacto hoc factum fuerit apud sui temporis Christianos, refert *Tertullianus* in Apolog. contra gentes hunc in modum,

dum; Nos pro salute Imperatorum, Deum invocamus, cum & ipsi Imperatores Deum (quem colunt Christiani) sibi propitium esse velint. Sciunt, quis illis dederit imperium, sciunt qua homines, quis & animam: sentiunt enim Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt. Et Paulo post: Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quaecunque Principis esse possunt vota. In Statu Ecclesiastico, Doctores orant pro auditoribus, quorum Symbolum sit oportet: Absit à nobis hoc peccatum, ut cessemus orare pro vobis! Quale fuit Samuelis 1. XII, 23. & vicissim Auditores pro DD. In Statu Oecon. orant conjuges pro se invicem: liberi pro parentibus: Domini pro servis, & vicissim. Pro inimicis orare, expressis jubet Salvator verbis, Matth. V, 44. conf. Luc. VI, 28. Rom. XII, 14. Cujus orationis exempla dant, Moses, Exod. VIII, XII, 13. XVI, 22. David Psalm. XXXV, 22. Christus Luc. XXII, 32. Stephanus Act. VII. 60.

§. 19. An pro mortuis quoque orandum sit, quæri An pro potest. Equidem Papistæ non modo orationem, sed & mortuis oblationem pro defunctis mordicus defendunt. Quod quoque orationem vel autem attinet palmarium eorum argumentum, exrandum vel 2. Macab. XII. ad illud solide responsum vide apud B. offerendum. Geierum in dissert. de precibus pro defunctis, quo brevitate studens benev. Lect. remitto. Hujus rei abusum Gentilismo aliquid debere originis, ostendit B. Chemnit. in Exam. Conc. Trident. Petita autem erroris occasio ex honoraria defunctorum ad Eucharistiæ celebrationem facta commemoratione, ubi referente Chrysoft. hom. XXI. in Acta: Magnus bonos fuit nominari presente Domino. Hanc veteris Ecclesiæ consuetudinem refert Pa-

lius ad epistolam X. Cypriani. Habebant veteres duas tabulas, que διπλόχα & πλόχα vocabantur, uni illarum vivorum, alteri defunctorum nomina inscribentur; & quidem non sub principium duntaxat, ut apud Dionys. Arcop. & in Missa Jacobi, sed circa consecrationem quoque, dicta nominum repetebatur recitatio. Quæ quidem res, in se spectata, laude erat dignissima, & fructus maximi. Quid vero sentiat Apol. A. C. de precibus pro mortuis, hæc ejus verba docent: Quod allegant adversarii Patres de ublatione pro mortuis, scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, sed applicationem Cœnæ Domini pro mortuis ex opere operat., improbamus. c. 1 p. 274. In quem locum commentatos vide B. Chemnit. Part. II. Examin. f. m. 555. B. Hopffner. in Saxon. Evangel. Sect. III. Part. I. cap. 15. p. 514. seqq. B. Gerb. Tom. II. §. 232. p. m. 516. seqq. B. Dorfb. in Myster. Missæ contra Herb. cap. II. B. Carpz. in Isagoge ad Libr. Symbolicos, Hulfem. in Breviar. Cæterum pium pro recens defuncto admittit suspirium B. Lutherus, quando Tom. III. Jenensi p. 556. ita scribit: Für die Todten / weil die Schrift nichts davon meldet / halt ich / daß aus freyer Andacht nicht Sünde seye / so oder dergleichen zu bitten: Lieber Gott / hats mit der Seele solche Gestalt / daß ihr zu helffen seye / so sey ihr gnädig; und wann solches einmahl oder zwey geschehen ist / so laß es genug seyn.

An pro peccatoribus in Spiritum Sanctum?

§. 20. At vero est & vivum aliquod hominum genus, pro quo intercedere prohibet Divus Johannes his verbis: Si quis viderit fratrem suum peccantem, peccatum non ad mortem, petat, tum dabit ei vitam, iis inquam, qui non peccant ad mortem. Est peccatum ad mortem, non de illo dico, ut oret. I. Joh. V, 16. Quem locum licet non simpliciter, verum comparate velit intelligi B. Seb. Schmid. Com-

Comment. in h. l. p. 559. ita scilicet, ut non eodem modo pro peccantibus ad mortem preces à fratribus Christianis fiant, quo, pro peccantibus non ad mortem: Pro *his* enim orandum esse, ut Deus periclitantem fidei statum velit conservare, peccatum commissum iis remittere, atque condemnationem illo peccato promeritam gratiose condonare: pro *illis*, ut Deus iis facultatem ad poenitentiam redeundi largiri velit, fidem extinctam excitare, & tandem eos à morte liberare c. l. *Strictius* tamen alii quoque præstantes Exegetæ sentiunt: ut Egid. Strauch. in *der Starck- und Milch-Speise* / exponens negationem de peccatore aliquo gravissime atq; pertinaciter peccante; sentiens, pro tali in *sensu composito*, quousque manet & perseverat in peccato, non esse orandum Sicut & communior Theologorū sententia est, intelligi debere locum de peccato in *Sp. S.* quale peccatum prout est irremissibile, ita quoque illud deprecari velle, supervacaneum. Ita sentit B. *Ægid. Hunnius* in h. l. cont. B. *Balth. Meisn.* in Anthrop. Dec. I. Disp. X. § 37. cujus orationis formulam conscripsit aliquoties jam citatus B. *Feuerb.* in Dissert. de peccato in *Spir. S.* *O Deus, si hic hostilis verbi tui abnegator & blasphemus persecutor nondum plenè peccavit in Spiritum Sanctum, nec dum est prorsus induratus, sed etiamnum sanabilis: tum Tu digneris pro infinita tua Clementia, ipsum in viam veritatis reducere: sin minus, infringas quaso ejus rabiem & malignitatem, tuamque Ecclesiam adversus ejus furorē elementer vindices & defendas.* Quamvis & ille nihil certi de hoc loco definire velit c. l.

§. 12. *Reale precum objectum* sunt res, actiones atque facta divina. Res sunt vel *spirituales* vel *corporales*. Illius generis sunt varia bona spiritualia, qualia sunt *Spiritus S. donatio*, quam petere jubemur Luc. XI, 15. sicuti orat David. Psalm. LI, 12. *Spir. S. ductus* atque *gubernatio* Psalm.

Reale precum objectum varium.

LXXXVI, II. *Conversio*, Esa. LXIII, 17. Jerem. XXXI, 18. *Peccatorum remissio* Matth. VI, 12. *Nominis divini sanctificatio*. *Vera Dei cognitio* Eph. I, 17. *fidei augmentum* Marc. IX, &c. Hæc bona *absolute* & sine conditione à Deo peti possunt, quoniam ad salutem nostram summe necessaria sunt: quanquam & inter spiritualia bona inveniuntur, quæ uti nobis præcise non sunt ad salutem necessaria, ita & cum conditione peti debent. Cujusmodi sunt, abundantior gratiæ mensura aut gradus, immunitas à tentationibus spiritualibus I. Cor. XII, 2. Cor. XII, 9. conf. *Voetii* Theol. Asc. cap. IV, p. 97. Præcise autem ad salutem necessaria, uti pro nobis absolute petere liceat, ita & pro aliis; modo illi ordinem divinum, qui semper necessario supponitur, non excludant. *Corporalia* autem quod attinet, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, quæ & ipsa varia sunt, cum conditione peti debent. Quomodo & ea petiere Sancti, ut David: *Si invenero gratiam in oculis Domini reducet me &c.* Ita leprosus ille: *Si volueris, potes me mundare.* Hinc merito *Drexelius* hanc formulam: *si vis*, inter colores orationis refert, quæ omnimodam voluntatis suæ resignationem notat. Merito igitur à *Vœtio* Anglus ille notatur, qui ex professo defendere conatur, etiam corporalia, *absolute* à Deo petenda esse, c. I. p. 98. Omnia autem hæc corporalia videlicet, & spiritualia, brevissimo compendio nobis in *Oratione Dominica* exhibentur.

Precum finis atque effectus.

§. 22. Cuncta igitur hæc, sive spiritualia sive corporalia, in nullum alium finem atque scopum quærenda sunt, quam vel in Summi Dei gloriam, vel in salutem nostram atque proximi. Idque omni parté sincere atque candide, non fucatè aut hypocriticè. Duplex ergo precum finis est, *Principalis* atque *minus Principalis*. Illum Do-

* (31) *

Dominus ipse innuit, quando dicit: *Invocame, & eripi-
am te, & glorificabis me.* Psalm. L, 15. Sic & Christus, Jo-
hannis XIV, 13. *Ut glorificetur Pater in filio.* Cujus rei er-
go exaudimur, ejus causa quoque est orandum. Nec alio
spectat orationis Dominicæ clausula: *Quia tuum est re-
gnum & potentia & gloria.* Quæ licet verba ab omnibus
fere interpretibus latinis omittantur, in Græcis tamen
codicibus supersunt: In Luca quoque originaliter defici-
unt. Audax proinde *Erasmii* assertio est, quod in Mat-
thæo non sint genuina. Huc facit & illa communis pre-
cum clausula, ab Orthodoxis olim, quo ab *Arianis* di-
stinguerentur, usurpata, quæ hæc est: *per Dominum no-
strum J. C. cui cum Patre & Sp. S. sit Laus atque Gloria in
secula seculorum, Amen. Et sive edatis, sive bibatis, sive aliud
quid faciatis, omnia ad Dei gloriam facite.* 1. Cor. X. 35.
Quod dictum *Chrysostr.* apud *Gerh.* in *Dispp.* vocat, καθολικὸν ἢ καθ' ἕνα ὄρον. *Finis minus Principalis* est nostra at-
que proximi *salus*, si temporalis sive æterna. Quo
universa facit bonorum corporalium atque spiritualium
petitio, quippe in quorum possessione *salus* nostra ver-
satur. Ad finem quoque referimus *effectum* precum,
cum quoad rem ipsam convenient. In his igitur quo-
ad nudam cognitionem, Precum consistit *absoluta* seu *ab-
stractiva* Veritas, per hæc media atque κερτήρια investi-
gata. Videamus ergo nunc.

C A P U T II.

De veritate subjectiva seu *concretivè* aut
habitualmente considerata.

§. I.

MInime autem hoc loco per *subjectum* intelliguntur Subjectiva
precationum libelli, quales magno apparatu exhibet precum.

Vesti-

veritas
quid ne-
gative.

* (32) *

Voetius in Theol. Ascet. cap. IV, §. I. quanquam & illud *Tribemi* merito hic observetur: *Orationes conscriptas in chartis, mentibus infirmis utile est legere: fortioribus autem & perfectioribus non convenit, nisi interdum pro ariditate cordis irriganda: illa oratio maximè efficaciam habet, quam non calamus sculpsit, sed mens ipsa formavit.* Optime quoque huc illa *Bonaventurae* verba faciunt, quando inquit; *Quibusdam magis expediunt ejusmodi orationes scriptæ, incipientibus scilicet & affectu orationis nondum imbutis, ut saltem consuetudo moveat ad orationis studium, ne semper vagi circa exteriora, à Deo fiant alieni, & frigidi torpeant, & nunquam aliquo devotionis igne calefiant.* Devotionis autem affectu imbuti, & amplioris cum Deo familiaritatis gratia sublevati, si nimis *Psalmorum & similium orationum multitudini intendunt, spiritum obruunt, devotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægravant, & melioribus ablatis, minus pro illo tempore utilibus occupantur, & scrupulosius inhærent.* Utendum autem est quandoque ejusmodi orationis sublevamento, donec flamma devotionis accensa, verborum foliis non amplius indiget, purius flagrans, & tranquillius se in sublime attollens. Et iste modus videtur expeditior, ut orationes scriptæ tunc ex bona consuetudine tumentur, quando major non habetur devotio: quando vero supervenit major devotionis infusio, vel utilior, vel plus urgens occupatio, tales intermittantur orationes. Apud *Væt.* c. I. Maxime autem ad hunc usum, nostratum commendantur precationum libelli. Multo minus *Papistarum Rosaria* hic *subjecti* nomine veniunt, de quibus ex professo egit aliquoties nominatus *Voetius* in Parte III. select. dispp. titulo de *Rosario* &c. Ubi ex merito ejusmodi globulos pre-
caro

catorios perstrinxit: unde precum veritas falso mihi
subjectiva diceretur.

§. 2. Sed *subjectum*, cui hæc forma *habitualmente* in- Quid posi-
fundi debet, est Homo ejusque animus, unde *subjectiva* tive?
audit hæc veritas. Est autem illa nihil aliud, quam
omnium eorum, quæ ad preces, revelante scriptura, necessario
requiruntur, vivas in animo fidelis, mediante verbo Dei, ope
Spiritus Sancti per fidem productus Character. Vel, est vera
atque orthodoxæ de genuina precum natura doctrinæ viva at-
que efficax in animo representatio, qua homo ad verè Deo-
que complacenter orandum, disponitur atque aptus redditur.
Qua ratione fideles Rom. VI, 17. dicuntur ex corde obedi-
isse typo doctrinæ, in quem traditi sint. Hæc itaque qua-
litas aut affectio, si fuerit integra, omnes speciales circa pre-
ces tenebras ex intellectu turbat fugatque; è contra vero
sereno illum lumine illustrat atque gratia imbuit. At-
que hoc demum modo, in spiritu & veritate orare dici-
mur, Joh. IV, 24. Hanc suadent atque producant tot
frequentes in Scripturâ sententiæ divino Spiritu plenæ,
de precibus conceptæ; quibus virtus hæc atque efficacia
instillatur animo, si cum fide, fidelique obsequio vel legun-
tur, vel audiuntur, vel considerantur. Verba enim Christi
sunt *spiritus & vita*. Joh. VI, 63. Habet & hæc veritas su-
os gradus atque scâlas, ut alius alia; majori vel minori
ejusdem mensura gaudeat; prout & fides ipsa ita variat,
cujus effectus est. 2. Cor. IV, 13. Præterea illud ante om-
nia semper notandum, specialem hic requiri Spir. S. gra-
tiam, sine qua nihil boni salutarisque cogitare, velle, at-
que percipere homo potest. Quæ gratia cum fide con-
fertur, estque Spiritus gratiæ & precum. Zachar. XII, 10.

§. 3. Ita quid *subjectiva Precum veritas sit*, in genere Subjectum
liquet: *subjectum* vero non nihil seorsim quoque consi- quod.
E deran-

derandum est. Dicitur autem illud communiter vel quod vel quo esse. *Subiectum* ergo quod, sunt omnes omnino homines, cujuscunque sint *conditionis, atatis status* atque *fortuna &c.* sicut & cuius generi illa à Salvatore præscripta orationis formula accommodata est. Quivis etiam homo varias ob causas precibus opus habet: quantis enim calamitatibus, periculis atque malis involvitur, unde se oratione eripere potest! Quam multa atq; varia divinæ munificentiae beneficia, quæ larga manu hominibus exhibentur! Quemadmodum omnes *in Deo esse, vivere moveri* dicimur, cum *omnibus det vitam, balitum, & omnia* Act. XVII, 25. & 28. quando *cibo & letitia implet omnium corda* Act. XIV, 17. Unde meritò glorificatio & gratiarum actiones ei debentur; sicut & ad laudem ejus omnes homines conditi sunt, Ps. CXLV, II. Prov. XVI, 4. Perperam autem hic facit *Daneus* in Expl. Or. D. quod ab hoc precum *subiecto* excludat infantes, contra Psalm. VIII *Deus perfecit laudem suam ex ore infantum.* Ad quod dictum respondet, eo doceri tantum Dei curam pro infantibus, ut inde divina benignitas, potentia atque virtus perspiciatur, contra impios eam negantes. Verum contra loquitur litera. A pueritia precibus unumquemque assuefieri vult Lutherus, his verbis: *Statim à pueritia assuescere convenit, ut quisq; privatim pro sua necessitate, quamcunque tandem sibi objectam per sentiscit, tum etiam pro aliis hominibus, quibuscum versatur, quotidie precari possit, veluti pro Concionatoribus, Magistratibus, vicinis, familia, & aliis.* Porro: *Hec propterea dico, per libenter enim velim, ut homines iterum rectè orare perdicerent, neque tam horridam & incultam, atque ab omni devotionis affectu alienam vitam viverent, à qua in dies singulos ineptiores ad preces faciendas evadunt.* Catech. Maj. p. VII.

§. 4. De precum *subjecto* quo alias quæri solet: an *Subjectum* illud sit vel *intellectus* vel *voluntas*? vel an oratio *formali-* quo. *ter* sit representatio nostræ voluntatis, an vero mentis! Atque *prius* in posteriori quæstione affirmat *Amesius* libr. II. *Medit.* cap. IX. & vult, orationem formaliter esse actum voluntatis, quatenus illa ad Deum conversa, & per actum quasi propensum ipsi representat suam inclinationem, atque desiderium. Vocari quoque preces in *Scripturis desideria*, Psalm. X, 17. & *suspiria*, Rom. VIII, 27. Quo spectat oratio Abrahæ Gen. XVIII, 27. qua tam ardentem agit cum Domino. Item 2. Sam. VII, 27. Ubi David dicit, se invenisse cor suum ad orandum ad Dominum orationem. Quæ omnia voluntati partes tribuunt potiores; nec non illud *August.* in Psalm. LXXXV. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris. Et *Damasc.* definitio libr. 3. de Fide cap. IV. *Oratio est mentis elevatio ad Deum*, quæ affectum cordis connotat. Etsi autem in praxi deprehenditur, ad orationem *intellectum & voluntatem* concurrere: tamen quæ circa fidem, sanctificationem atque beatitudinem ratio esse solet, eadem quoque est cum orationis *subjecto* primario. Qua de re audienda *Apol. Aug.* Conf. p. 125. Sicut terrores peccati & mortis, non sunt tantum cogitationes intellectus, sed etiam horribiles motus voluntatis, fugientis iudicium Dei; Ita fides est non tantum notitia in voluntate, hoc est, est velle & accipere hoc, quod in promissione offertur, videlicet reconciliationem & remissionem peccatorum. Conf. p. 68. Neque aliena sunt *Bonaventurae* in *intin. ment.* cap. 6. sequentia: *Si queris, quomodo hæc fiant? interroga gratiam, non doctrinam; desiderium, non intellectum; gemitum orationis, non studium lectionis; sponsum, non magistrum; Deum, non hominem;*



caliginem, non claritatem; non lucem, sed ignem totaliter inflammantem, & in Deum ardentissimis affectionibus atque unctionibus transferentem. Certè τὸ ἐνεργούμενον, quod requiritur in precibus, ut πολὺ ἰσχύειν, multum valere possint, Jac. V, 16. non ponendum in intellectu, sed voluntate, quatenus hac ipsa homo adhæret Christo, magisque ac magis unus cum eò spiritus fit. Qua de remeditatio instituenda super 1. Cor. VI, 17. Eph. VI, 18, 19. Joh. XVII, 24. Luc. XXII, 42. Jac. I, 6. 7. 8. Joh. VII, 17.

Fundamenta.

§. 5. Post subjecti considerationem videamus quoque *fundamentum*, aut qua ratione hæc veritas insit, id est, quæ aptitudo subjecti esse debeat, ad formam hanc recipiendam. Tria alias ad acquirendum aliquem naturalem habitum eriguntur, φύσις scilicet, μάθησις & ἀσκησις, *natura, doctrina & exercitatio*. Proinde & hic de dispositione subjecti haud immerito quæritur, quam *fundamentum* vocare liceat. Si vero res uberius perpendatur, varium videri potest fundamentum. Nam, cum veritatis hujus infusio divina sit Spir. S. operatio, atque sciamus, Spir. S. non venire in animam pollutam aut corpus peccatis subjectum; varia inde ad hanc veritatem requiritur præparatio, per quam ipse Spir. S. ad eam concurrat, hominemque idoneum reddit. *Primum ergo fundamentum* est vera atque seria cordis pœnitentia. Necessitatem hujus jam tum supra vidimus, nempe; Deum peccatores non audire. Si ergo exaudiri velint, recte precentur oportet: hoc poterunt, si se ipsos à peccati inquinamento purgent. Peccata enim quam maximè precibus obstant, utpote quæ separant nos atque Deum. Morificanda ergo atque è medio tollenda; id quod fieri debet Communionem mortis atque passionis Christi, (2) *Reconciliatio* atque *gratia* apud Deum, quæ vere pœnitenti

nitentibus ac credentibus certa est. Absque hac utique preces vanæ erunt, quomodo enim exaudiret nos Deus, atque ea largiretur, quæ petimus, quamdiu non esse-
mus in eo, ut reconciliaretur nobiscum? Hoc innuitur quoque in *Oratione Dominica*, quando Deum *Patrem nostrum* compellare jubemur. Hinc David: *Psallite Domino, sancti eius!* i. e. amici, cumque eo reconciliati atque uniti. *Ps. XXIX, 5.* Procul dubio hanc ob causam in *V. T.* sacrificium pro peccato cæteris solebat præmitti; quod *Alphonsus Tostatus* *Comment. in Exod.* observat his verbis: *Ut Deo accepta sint posteriora sacrificia, oportet, ut illud primum præmittatur, tanquam dispositio ad alia.* (3) Apud eos, qui statum gratiæ indepti sunt, assiduum requiritur *studium innocentie ac pure conscientie*, ut renovationis opus fideliter excolatur. Quo Apostolus respicit *1. Tim. II, 8.* *Volo, inquit, viros precari in quovis loco, puras manus attolentes absque ira & disceptatione.* Atque hoc

Optimum opus manuum est, in cælum has tollere puras. urgente *Nazianzeno.* Nam qui picem retigerit, inquinabitur. *Sirac. XIII, 1.* (4) *Mentis ab amore creaturarum abstractio.* Quodcunque enim quis amaverit, hoc cogitat, nec liber ab eo est in oratione, sed varie in hujus intentione atque ardore impeditur. Propterea Salvator dixit, *ibi esse cor nostrum, ubi sit thesaurus noster* *Matth. VI, 21.* Optime igitur *Drexelius:* *Excute hunc amorem, & excusfisti vanas cogitationes atque evagationes mentis!* Etsi enim non omnis creaturarum amor amanti creatoris adversatur omni modo, periculum tamen est semper, ne animus ab iis vel præter opinionem trahatur in captivitatem *1. Cor. VI, 12.* atque iis tanquam idolo adhaereat: unde Christus tantopere exquirat abnegationem

Ratio fun-
dandi,

rerum omnium, absque qua cultus Dei nullus sit verus.
 §. 6. Proximum ergo à parte hominis fundamentum
 ad veritatem hanc recipiendam est totum *fidei obsequi-
 um* Rom. I, 5. jam tum in Regeneratione positum. Quo me-
 diante homo in actu precum constituitur, & aptus est por-
 ro illuminari atque sanctificari, quoad πv. ψ. κ. σ. I. Thess.
 V. 23. Minime ergo illi hujus veritatis participes fieri pos-
 sunt, qui nolunt rationem suam sub obsequium Chri-
 sti captivare, I. Cor. X, 2. Quo spectat *seria verbi Dei
 meditatio*, quippe quod ordinarium nostræ illuminatio-
 nis medium est, cum sit virtus atque efficacia Dei. Quo
 verè usurpato, & virtus & veritas divina communicatur
 nobis, sive legatur, audiatur aut consideretur. Lumi-
 ne itaque verbi *actus* intellectus atque voluntatis, ad
 preces requisiti, informantur atque illustrantur, sicque
 precandi facultas atque habitus existit. At vero à veri-
 tate historica, non nisi mediante gratia sanctificante tran-
 situr ad Spiritualem, practicam atque salutarem. De qua
 & probè est reputandum, quod veritas hæc tamdiu in
 animo duret, quamdiu fides existit; excussa autem fi-
 dei veritate viva, illa quoque exulat, manente nihilo-
 minus historica cognitione, quæ ita facile non amitti-
 tur. Naturalis enim cognitio etiam cum impietate stare
 potest. Falsa igitur multorum est apud se ipsos persua-
 sio, quando post aliquod grave peccatum commissum
 proæreticum, rerum spiritualium aliquam adhuc senti-
 unt historicam cognitionem, fidem quoque se habere
 atque nihilominus retinere; qui, quamvis illam non
 amplius sentiant, latere putant, atque de amissa gratia
 nihil sibi timent. A parte vero Dei *proximum funda-
 mentum* hujus veritatis est, concursus atque influxus Spi-
 ritus sancti, prout inde *Spiritus precum* audit Zach. XII.
 conf.

conf. Rom. VIII. Gal. IV. Hunc concursum autem mediante verbo præstat, per quod operatur atque efficax est, tanquam insitum in fidelium animabus, quas & servare potest. Jac. I. 21. Quippe hic unus *Spiritus distribuit seorsim unicuique, sicut vult*, I. Cor. XII. II. & docet omnia, atque de omnibus commonefacit. Joh. XIV, 26.

§. 7. Positam ita veritatem practicam & vivam E-Actus verarum precum. phes. IV, 21. sequuntur *Actus*, oratio sc. Deo grata atque accepta; *Quæ est actus religiosus, quo homo fidelis Deum Triunum & Christum Θεάν & Χριστόν vera cordis fiducia, Mediatoris unicus merito & intercessionem innixa, supplex compellat, ad Dei gloriam, suammet & aliorum salutem.* Hinc tot sanctorum spiritu plenæ precum formulæ: Inter quas omnes eminent Salvatoris illa, ipsius discipulis atque omnibus commendata. De cuius formulæ præstantia & sensu videatur C. Luth. Tractatus tom. I Jen. conf. Drexel. Rb. cœl. lib. II, cap. XI, §. III. Atque merito hæc formula omnium aliarum compendium audit; quippe includit omnes alias preces, quotquot vel in universo sacro codice à sanctis prolatas legimus, aut quibus alii sancti usi fuerunt. Unde effatum, quod Augustini esse dicitur: *si recte & congruenter orare volumus, nihil aliud petere possimus, quam quod in oratione Dominica positum est.* Tertulliano apud Lamb. Danaum hæc formula est *breviarium Evangelicæ & Propheticæ doctrinæ.* Licet alias illa formula Prov. XXX, 8. *Vanitatem & mendacium a me remove, & paupertatem atque divitias ne dederis mihi: ale me cibo, qui convenit mihi!* brevior videatur, tantum tamen non complectitur, atq; oratio Dominica: ea enim quæ regnum Dei & gloriam ejus spectant, non ita expressa sunt. Verum jam olim quæsitum est, num aliis verbis, vel alia formula precari liceat, quam ea quæ ab ipso Christo nobis est præscri-

* (40) *

præscripta? Aliis *verbis* quidem orare licet, sed non alio *sensu*. Preces omnes aliæ, quæ in sacra scriptura hinc inde occurrunt, licet verbis ab oratione Dominica diversæ sint, sensu tamen optime conspirant, quod ex inductione satis patefcet. Sic quoque ipsa Oratio Dominica aliis nonnullis verbis refertur à Luca, quam *Matthæo*. Liberum ergo erit Ecclesiæ, l. Christi l. Prophetarum l. Apostolorum formulas ulurpare, vel novas ad imitationem componere, quod iis, qui precum spiritu gaudent, facillimum est. Omnes autem ejuscemodi formulæ vel in *primas*, vel à *primis ortas* distingui possunt. *Ortae* sunt, quæ in precum libellis hinc inde reperiuntur, prout piorum PP. formulas collegit *Kegehus* in *Thef. sp.* Quas precum formulas in publicis precum libellis exhibitas retineri pie, autumat *B. Balduin.* non ut aliquid iis Spirit. Sancto præscribatur, sed ut infirmitati orantium nonnullorum quadantenus inserviat, qui necessitates suas fusius exprimere assuescant. *Cas. Conf. lib. II. c. VII. cas. XIII. Conf. XI. hujus cap.* Actus autem ipse precandi verus non tam in formulis situs est, quam in desideriis ad Deum filialibus *Gal. IV. 6.*

Signa, eaq;
i. Principalia.

§. 8. Hujus veritatis certa quoque nonnulla signa atque *κεντήρια* videamus. Quorum primum atque maximum, illudque internum est *testimonium Spiritus Sancti*, quando is *testatur una cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei*, *Rom. VIII. 16.* Quod quidem aliud nihil est, quam quod signum unionis cum Deo veræ proponitur *1. Joh. III, 24. per hoc novimus, eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu, quem nobis dedit.* *It. c. IV, 13. per hoc cognoscimus, nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.* Minime autem imaginarium seu fanaticum esse ejusmodi Spiritus adoptionis sensum internum

num, cum allata, tum alia probant Scripturæ loca. Ita Psalm. XXXIV, 9. legitur: *gustate & videte, quam suavis sit Dominus: beatus vir, qui confidit in eo.* Ubi טַוּב *gustavit*, notat, sicut הִרְאָה *vidit*. Ambo autem hæc vocabula corporis sensus quidem significant, insigni autem emphasi ad animum transferuntur: ut illud, *in Spiritu experiri, percipere*; hoc autem *in Spiritu animadvertere, cognoscere & observare*, denotet. Diversos idcirco sensus & affectus notant corporis & animi, externos naturales, atque internos spirituales. Merè igitur *equivoca* non sunt, sed ad *univoca* certo sensu referri debent. Nam aliqua res cum alia verè idem esse potest, quamvis non tale. Quis Christum merè *equivocè* Pastorem, panem &c. dixerit? nemo procul dubio audebit. Est enim verus animarum nostrarum pastor, quamvis non talis ut in regno naturæ. Hinc Beat. Keslerus in *Metaphys. Photin.* hanc commendat regulam: *Quando inter aliquam rem, cui terminus univocè competit, & quæ univocè talis est, & inter aliam, quæ non univocè talis est, ejusmodi intercedit similitudo, ut effectui rei illius, quæ univocè talis est, ad materiam inferiorem respondeat effectus rei hujus, quæ univocè talis est, ad materiam digniorem gradu excellenti, tum, non obstante equivocatione, res hæc vera dicitur ratione illius.* Similis ergo ratio in hoc pari vocabulorum est, quando ad animum h. l. referuntur, atque verè sensum aliquem Spiritualem innuunt, qui ex viva proficiscitur fide. Quam sententiam *Job. Cocceji* verbis illustrare licet, qui ita in h. l. *O homines brutos! qui Deo non credunt, non confidunt, eum non amant, eum non quærunt, non sitiunt & esuriunt, cujus bonitatem gustare licet & videre. Videre, quia patet effectus, gustare, quia nulla ratio admittit, quin illa sint summæ bonitatis effecta.* Non tantum species

F in

in factis est sine re, sed probanti penetrantique plenam saturamque suavitatem invergunt, charitatemque Dei insinuant. Vide, si gratus esse velis, ut beneficia Dei non obiter transmittas, sed ita penetres, ut lætitia animus tuus perfundatur, ut gratiæ Dei veluti formam impressam mentis oculis habeas: Denique ut in iis, quæ in hoc mundo cum Deo nobis præbentur suavia & jucunda, prælibemus gaudii immarcescibilis & gloriosi, quod est in fruitione Dei ipsius, suavitatem & dulcedinem ineffabilem, & ad eam sitiendam efferamur. Tom. II. opp. p. 147. Ita & in N. T. varia ejusmodi loca reperiuntur. v. g. Rom. V, 3. 4. 5. dicit Apostolus: *Εἰδότες ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν, καὶ ἐργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, scientes, quod afflictio patientiam operetur, patientia autem probationem.* Ubi *δοκιμὴν* non male quidem reddit *vulgata* per *probationem*, rectius vero Luth. per *Erfahrung*: quæ experientia sensuum habetur ministerio. conf. *Hug. Grot.* apud *Calov.* in *Bibl. Illustr.* in h. l. Omnium autem clarissimus locus est ad *Philipp. I, 9.* vid. *Dn. Presid. Thess. fund.* p. 6. juxta *B. Glasii Phil. & Rhetor. S.* p. 357. ubi fusior hujus rei tractatio consulenda. Satis ergo ex his constat, rei spiritualis sensum atque experientiam dari, & ita quoque veritatis hujus. Hoc autem signum generale est, pertinens ad totum caput antecedens ipsiusque praxin, supponitque divini influxus atque gratiæ statum s. habitum, sinceram ad Deum Triunum devotionem, certitudinem fidei cum speciali cordis fiducia in Redemptoris merito atque intercessione, amorem proximi atque nostri debitum; unde alacritas existit laudandi Deum, nobis atque aliis bona vel spiritualia vel corporalia impetrandi, mala à nobis vel aliis præsentia aut futura avertendi, ardens desiderium, idq; omne in divini gloriæ, proximi atque nostræ salutis promotionem.

§. 9. 2. Est ipsa frequens oratio. Non enim inertem Secundum
 esse sine hac veritas, cum nihil aliud sit, quam virtus a- signum.
 liqua genuinae atque proprie dictae fidei. Antequam
 autem animus ea imbuitur, tardus atque remissus est ad o-
 randum, imo certo respectu plane mortuus. Ubi ergo
 languor, tarditas, torpor atque remissio ad preces domi-
 natur, ibi circa dubium haec exulat veritas. *Chrysostom.*
lib. I. de orando Deum: Cum videro quempiam non aman-
tem orandi studium, nec hujus rei fervida vebementique
curateneri; continuo mihi palam est, eum nihil egregiae dotis
in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero, insatiabi-
liter adhaerentem cultui divino, idque in summis damnis nu-
merantem, si non continenter oraverit, conjecto talem omnis
veritatis firmum esse mediatorem, ut Dei templum. Interim
 tamen quandoque pios atq; fideles aliqua infirmitas ob-
 ruit, ut minus alacres atque promptos se ad preces senti-
 ant. Occupare eos solet hic defectus vel ante oratio-
 nem, ita ut inclinent ad preces omittendas aut differen-
 das, & pertarda denique molimina ad Deum accedant:
 vel eos occupat remissio in ipso orationis cursu, cum
 scilicet spiritus in principio alacer atque fervidus, paula-
 tim deficit aut tentationibus distrahitur. Sed hujusmo-
 di defectus non absq; culpa hominis accidere solet, cui ex
 precum motivis & renovationis cura ac studio remedium
 est parandum. Cum eo tamen haud confundenda *mentis*
ariditas, quam & sanctissimi experti sunt: de *siti* etiam pro-
 be exercitatus orator caelestis, Rex David queritur: *ani-*
ma mei, inquit, est sicut terra absq; aqua. Psalm. CXLIII, 6. Non
 ergo hujusmodi quid vel fidei vel veritatis jacturam indi-
 cat. Neque peregrinum hoc videbitur illi, qui vel legerit,
 vel audiverit haec verba *Kempensis*: *Quam diu vixeris, mu-*
tabilitati subjectus eris, etiam nolens, ut modo letus, modo

tristis, modo pacatus, modo turbatus, nunc devotus, nunc indevotus, nunc studiosus, nunc acediosus, nunc gravis, nunc levis inveniatis. Sed stat super hæc mutabilia sapiens & benedictus in spiritu, non attendens, quid in se sentiat, vel qua parte stet ventus instabilitatis, sed ut tota intentio mentis ejus ad debitum & optatum proficiat finem. De Imit. Christ. lib. III. c. 33. n. 1.

III.

§. 10. Sign. 3. Est mentis ab evagationibus atque distractionibus vacatio s. quies. Quo vero quis minus in precibus exercitatus est, precandique facultate præditus, eo quoque proclivior est ad excursions, nec ab his mentem immotam continere potest. Porro proveniunt ejusmodi evagationes vel à solitudinibus atque curis seculi, à curiositate (quam vocat Drexelius) otio, confusa negotiorum mole, inanibus sermonibus, affectibus vehementioribus, præcipue autem, a licentia sensum vel externorum vel internorum, actionibus orationi minus congruentibus. Contraria autem sunt contrariorum signa: ubi igitur mens acquiescit in Deo, & à discursationibus abhorret, summoque adhæret bono, insigne veritatis indicium erit.

IV.

§. II. Sign. 4. est *venia inimicis data.* Quod ipse Salvator requirit hisce verbis: *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos &c. Marc. XI, 25. 26. Pulchre Gregor. M. Homil. XXVII. in Evang. item lib. IX. Mor. super cap. IX. Jobi ad verba Jerem. XV. 1. steterit M. & S. coram me &c. commentatur interrogans: Quid est quod Mos. & Samuel ceteris patribus in postulatione præferuntur? Atque respondet: Nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti Veter. serie pro inimicis suis leguntur orasse. Unus à populo lapidibus impetitur*

petitur, & tamen pro lapidatoribus suis deprecatur. Alter
ex principatu suo ejicitur, & tamen rogatus, ut Deum exoret,
fretetur dicens: Absit à me peccatum, quo minus cessem orare
pro vobis. Hoc signum videre est in verorum oratorum
exemplo maximo, Salvatore videl. Luc. XXIII. 34. deinde
in Stephano, Act. VII. Nec præter rem est, quod *Augusti-*
nus libr. II. de Doctr. Christ. notat, inimici dilectione ipsum
oculum purgari, quo videri Deus potest. Unde non potest
non veritas precum existere & augeri.

§. 12. Sign. 5. est cordis veritate affecti libertas atque
parrhesia inter orandum. Quæ quidem spectanda est
dupliciter; 1. ut oritur ex necessitate, conjuncta cum pia
affectione animi: de qua Christus Matth. VI, 7. Petite,
quærite pulsate! Qualis in Cananæa deprehenditur, quæ
non solum indefinenter uno spiritu clamabat, sed repul-
sam nacta, nihilominus instabat, tandemque impetrabat
exauditionem conf. *Luther. Tom. II. Wittenb. p. 574. (2)*
ut oritur ex matura fidei libertate ac pleniore & puriore
fiducia: *Ubi enim Spiritus Domini, illic libertas. 2. Cor III, 18.*
Qui habent eundem spiritum fidei, atque is, de quo scriptum
est: credidi, ideo locutus sum: illi credent quoque, propterea &
loquentur. 2. Cor. IV, 13. Habentes igitur Pontificem ma-
gnum. Jesum Filium Dei, accedamus cum fiducia ad thronum
gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam invenia-
mus ad opportunum auxilium. Hebr. IV, 16. Quæcirca ma-
ximopere cum Apostolo commendandum indicium il-
lus est, quod ponitur in προσκνησεις, ut omni prece &
supplicatione fideles sint precantes omni tempore in spi-
ritu, & illi ipsi rei invigilantes cum omni perseverantia
seu instantia & ardenti contentione. Eph. VI, 18. conf.
Rom. XII, 12. Coloss. IV, 2. Luc. XVIII, 17.

§. 13. Sunt quoque secundaria nonnulla, atque mi-
nus prin-

F 3

Secundaria
& minus
princ.

mus principalia signa, quæ à circumstantiis externis peti possunt: non autem hæc universalia haberi debent, sed particularia, hoc sensu, ut ex iis veritas precum haud aliter judicetur, quam si requisitorum principalium veram indolem secum ferant. Cujusmodi iudicium sumitur (1) ex Eleemosynis seu libertate in pauperes, juxta illud Angeli: *Bona est oratio cum Jejunio & eleemosyna.* Tob. XII, 9. Confirmatur hoc tum ex contrario, tum ex consequente. Qui enim obdurat autem suam ad clamorem paup. & ipse clamabit & non exaudietur. Prov. 21, 13. veri ergo oratores nequeunt esse, qui imiseriordes erga pauperes sunt. Contra inquit Christus Luc. VI, 38. *date, & dabitur vobis.* Hinc respodebatur Cornelio Act. X, 4. *Preces tuae & eleemosina tua ascenderunt in memoriam in Dei conspectu.* Atque ex mysterio factum existimant, quod Rex Salomo ad ingressum Sanctuarii in templo Hierosolym. duo fecerit ostia ex lignis oleaginist, Reg VI, 31. scilicet ut orationis locus symbolo misericordiæ insigniretur. conf. *Lund*, in *descript. templ. Salom.* cap. VI.

§. 14. Sign. 2. minus princip. est *fidele cum aliis orandi questum consortium.* Preces quidem etiam solitarie atque seorsim fieri possunt, præstat tamen aliquando plurium conjuncta oratio, imo hujus veritatis indoles est, animos orantium facile conjungere. Hinc tanquam singulare commendatur in primitiva Ecclesia Apostolica, quod in orationibus omnium credentium unum cor & una anima fuerit, Act. II, 1. 46. IV, 32. Neque alio accipi possunt verba Salvatoris: *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Matth. XII, 19. Et iterum: *ubi duo vel tres congregati s.* Matth. XXVIII. Hoc signum maximè conspicu-

spicuum erat in *Juditha*, quæ cum civibus Bethullen-
 bus preces suas malebat jungere, quam sola orare. Ju-
 dith. VIII, 31. 32. Similis quoque historia recitatur 2. Mac-
 cab. III, 31. 32. Idem hoc agunt *Ninivita*, Jona de urbis
 excidio perorante. Ubi Rex serium emittit mandatum, ut
 operiantur sacco, homines & jumenta, & una clament
 in fortitudine ad Dominum, Jon. III, 8. Hoc etiam Di-
 vine Majestati respondet, quæ frequentia hominum ma-
 gis colitur: Item & communis necessitas hoc exigit.
 Docemur ea de re quoque in Orat. Dom. ubi in ma-
 jori numero atque prima persona orare jubemur. Sa-
 muel omni populo præsentem demum incipit orare, quo
 fine? scilicet ut multarum facierum præsentia, exaudibi-
 lior ejus esset oratio: quæ verba sunt *Drex*. Nec defuit
 optatissimus successus, cum insignem Israelitæ post preces
 reportarint victoriam. *Tertull.* Apolog. cap. XXXIX Co-
 imus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi
 manu facta preceationibus ambiamus orantes. *Hæc vis Deo
 grata est.* Oramus etiam pro Imperatoribus, pro mini-
 stris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum
 quiete, pro mora finis.

§. 15. (3) *Accommodata precibus loci observatio.* Di-
 versis in locis pii oratores suas peregerunt preces. *Pri-
 vatarum* locus cuilibet semper indifferens atque liber
 permittitur, sive in V. sive in N. T. Sic Isaac in agro, Gen.
 XXIV, 63. Jacob in lecto, Gen. XLIX, 18. Elias in cœna-
 culo, I. Reg. XVII, 18. In monte Carmeli I. Reg. XX, 3. Jere-
 mias in fovea, conf. Thren. III, 55. Jonas in ventre ceti Jon.
 II, 1. orarunt. In N. T. sæpius legitur Christus in montes
 adoratum ascendisse, v. g. Matth. XIV, 23. in horto oravit,
 Marc. XV, 35. Discipuli ejus in navi, Matth. VIII, 25. In
publicis autem precibus certi loci haberi solet ratio.
 Patri

Patriarchæ ibi suas potissimum præces instituerunt, ubi singulari modo Deus ipsis apparuit, vid. Gen. XXVIII, 17. Judæi primum in tabernaculo fœderis, deinde intemplo Hierosolym. publicas suas preces habuerunt. Ad quæ loca ita precibus suis solennibus erant alligati, ut cultus alibi factus ratus apud Deum non haberetur. Deus enim in loco à se electo coli voluit. Exod. XXV, 22. Ejusmodi loci ceremonialis & Levitica necessitas in N. T. quidem est sublata, 1. Tim. II, 8. & Joh. IV, 19. interim tamen orationes publicas in locis publicis pro sua libertate Christiani N. T. habere amant. Qualis & consuetudo in primitiva Ecclesia obtinuit, quemadmodum ejusmodi loca à primaria hac actione *ἑσθηπῆρια* s. *προσευχητήρια* i. e. oratoria denominata, illud docent. Conf. *Euseb.* lib. II, cap. II. *Socrat.* lib. V. c. VII. *Sozom.* lib. I. cap. VIII, & *August.* dist. XLII, cap. ult. Quæ loca quoque Chrysostomus *domos orationis* vocat. Hom. IX. in Act. cap. III. Privatæ autem devotioni loca potissimum solitaria conducunt, ut supra allegata plura satis ostendunt. Atque hic unicum illud Christi observetur: *quando oras, intrato in conclave tuum, & claudes ostium tuum &c.* Matth. VI, 6. Quo magis ergo quisque juxta hanc Christi mentem vere animatus est, eo & melius signum habet.

§. 16. (4) Sign. est *opportunitatis delectus*; quod juxta ordinarias preces, non extraordinarias aut occasionatas, est intelligendum. Occasiones enim quod attinet, hæc omni tempore nos occupant: quo quidem atq; alio respectu *semper est orandum*, nec unquam segnescendum, secundum Luc. XIX, I. sicut & indefinenter orare præcipit Apostolus, 1. Theff. V, 17. Qualia dicta erroneè olim interpretati esse perhibentur *εὐψῆται* s. *Psalliani* dicti. conf. *Voet. Theol. Asc.* cap. IV, p. 95. *Lamb. Danaum* c. I. Quo-
rum

rum aliqui modestè sui erroris convincebantur, atque melioris informabantur ab *Lucio*, Abbatè quodam. Historiam hanc ex *Pelagio* libr. XII, n. 9. & *Ruffino*, refert *Heribertus Rosweidus* hisce verbis: *Venerunt aliquando, inquit, ad Abbatem Lucium, Monachi quidam, qui dicebantur Evcheta, hoc est, orantes, & interrogavit eos senex, dicens: quod est opus manuum vestrarum? Et illi dixerunt, nos non contingimus aliquod opus manuum, sed sicut dixit Apostolus: sine intermissione oramus. Dicit eis senex: Et non manducatis? illi autem dixerunt, etiam manducamus. Et dicit eis senex: quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? Et non invenerunt, quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis. Ignoscite mihi fratres, quia ecce non facitis sicut dixistis: ego autem ostendam vobis, quia operans manibus meis sine intermissione oro. Sedeo enim, juvante Deo, infundens mihi paucas palmulas, & facio ex iis plexum &c. vide apud cit. autor. Statis interim precibus optime convenit matutinum atq; vespertinum tempus, quod colligitur quoque ex Ps. CXIV, it. CXIX. Sic jube aliquod sacrificium mane & vesperi offerre solebant Israelitæ. De Veterum autem Christianorum statis precum temporibus, aliisque omnibus circumstantiis, etiam atque etiam consulendus videatur *D. Hildebrandus* in utroque tractatu de *Precibus & Ritibus* orandi.*

§. 17. Hæc igitur, Christiane Lector, dicta sunt de veritate illa piarum precum, quam hac vice pro temporis ratione delibare volui, tam *abstractive*, quam *subjective*. Non enim *primo* tantum modo veritates Theologicæ considerandæ sunt, sed finem suum penes animum quomodo attingant, maximè spectandum. Hoc ipsum est, quod requirit Christus, nempe in Spiritu & veritate Deum cognoscendum esse, ut pariter quoque adoretur,

G

tur,

* (50) *

tur Joh. IV. 24. Ita Spiritus testatur, quod Spiritus sit
veritas I. Joh. V. 9. Sic nemo de suâ *justificatione* testimo-
nium habere potest, nisi animus veritate illa, quam Scri-
ptura revelat, affectus fuerit, atque id quod de pace di-
citur, Rom. V, 1. sentiatur in Spiritu, ejusque experien-
tia spiritualis habeatur. Quæ quidem indoles totius The-
ologiae est, quæ hinc meritò habitus audit practicus.
Tale ergo quid in hoc themate tentare conatus fui.
Quod porrò reliquum est, *precum* atque *veritatis Spiritu*,
Paracletu atque consolatori meo maximo, gratias
ago humilimas atque decentes pro præstito mihi auxi-
lio, & quod me voluerit ab errore præservare inque
omnem veritatem ducere. Ad sis mihi porro, meisque
studiis benedicas, Alme Spiritus! Tibi cum Patre at-
que Filio sit laus, honor atque gloria in omnia se-
cula seculorum!

F I N I S.



8

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

S. D. G.



Faint red text at the bottom of the page, possibly a library or archival mark.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines, but the characters are too light and blurry to transcribe accurately. There are some faint red markings on the left edge of the page.




76 2456

ULB Halle 3
 001 512 935




f

Sb.

1072

 1072







B.I.G.

Farbkarte #13

6

Q. D. B. V.
TIO THEOLOGICA
DE
ECUM
TIANARUM
ITATE,

quam
EARUNDEM SPIRITU,
MAGNIFICENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

CO WILHELMO,
RANDENB. HÆREDE, &c. &c.

IA FRIDERICIANA
RAESIDE
DN.

TO BREITHAUPT,
emin. Theol. Direct. Consil.

t. Magdeb. gravissimo,
ptore suo sempiternè colendo,

MDCC. horis locoque consvetis
ico subjicit Autor Respondens

ADAMUS FUNCKE,
S. Th. Stud.

NDREÆ ZEITLERI, Acad. Typog.

